

UNIVERSITATEA DIN BUCUREȘTI
FACULTATEA DE LIMBI ROMANICE ȘI CLASICE

B. I. L.

II

№ 21.824

Asistent JANINA VILAN-UNGURU

Asistent MARIANA TÎȚU-BĂLUȚĂ

Asistent ICANA DINISCHIOTU-POPESCU

CULEGERE DE TEXTE LATINE

CENTRUL DE MULTIPLICARE AL UNIVERSITĂȚII DIN BUCUREȘTI

— 1973 —

II 21.824

UNIVERSITATEA DIN BUCUREȘTI
FACULTATEA DE LIMBI ROMANICE ȘI CLASICE

Asist. Janina Vilen - Unguru

Asist. Mariana Tițu-Băluță

Asist. Ioana Dinischietu-Popescu

CULEGERE DE TEXTE LATINE

INSTITUTUL DE LINGVISTICĂ
BIBLIOTECA
NR. 2210

Centrul de multiplicare al Universității din București

- 1973 -

Prezenta culegere de texte latine este destinată studenților din anii I și II de la Facultatea de limbi romănice și clasice, secțiile de limbi romănice, a Universității din București.

Textul a fost analizat în colectivul de catedră care s-a declarat de acord cu multiplicarea în actuala redactare.

T. M A C C I U S P L A U T U S

(254 - 184 f.e.n.)

A U L U L A R I A

EUCLIO, STAPHYLA

- 40 EUCLIO: Exi, inquam; ege, exi; exeundum hercle tibi
hinc est foras,
Circumspectatrix cum oculis emissiciis.
- STAPHYLA: Nam cur me miseram verberas?
- EUCLIO: Ut misera sis
Atque ut te dignam mala malam aetatem exiges.
- STAPHYLA: Nam me qua nunc osusa extrusisti ex sedibus?
- 45 EUCLIO: Tibi ego rationem reddam, stimulerum seges?
Illuc regredere ab ostio. Illuc, sis vide,
Ut incedit. At scin, quo modo tibi res se habet?
Si hodie hercle fustem cepero aut stimulum in
manum,
Testudineum istum tibi ego grandibo gradum.
- 50 STAPHYLA: Utinam me divi adaxint ad suspendium
Potius quidem quam hoc pacto apud te serviam.
- EUCLIO: At ut scelesta sola secum murmurat!
Oculos hercle ego istos, improba, ecfodiam tibi.
- 55 Ne me observare possis, quid rerum geram.
Abscede etiam nunc, etiam nunc.

STAPHYLA: Etiamne?

EUCLIO: Ohe,

Istic adstato. Si hercle tu ex istoe loco
Digitum transvorsum aut unguem latum excesseris,
Aut si respexis, donicum ego te iussero,
Continuo hercle ego te dedam discipulam cruci.-

60

Scelestiozem me hac anu certe scio
Vidisse numquam, nimisque ego hanc metuo male,
Ne mihi ex insidiis verba imprudenti duit,
Neu persentiscat, aurum ubi est absconditum,
Quae in occipitio quoque habet oculos, pessuma.

65

Nunc ibo, ut visam, sitne ita aurum, ut condidi.
Quod me sollicitat plurimis miserum modis.-

STAPHYLA: Noenum mecastor, quid ego ero dicam meo

Malae rei evenisse quamve insaniam,
Quo comminisci: ita me miseram ad hunc modum
Deciens die uno saepe extrudit aedibus.

70

Nescio pol, quae illunc hominem intemperiae
tenent:

Pervigilat noctes totas, tum autem interdus,
Quasi claudus autor, domi sedet totos dies

.....
EUCLIO: Nunc defaecato demum animo egredior domo,

80

Postquam perspexi salva esse intus omnis.
Redi nunciam intro atque intus serva.

STAPHYLA: Quippini?

Ego intus servem? An, ne quis aedis auferat?
Nam hic apud nos nihil est aliud quaesti
furibus:

Ita inanis sunt oppletae atque araneis.

85 EUCLIO: Mirum, quin tua me cause faciat Iuppiter
Philippum regem aut Darium, trivenefica.
Araneas mihi ego illas servari volo.
Pauper sum, fateor; patior: quod di dant, fero.
Abi intro, occlude ianua; iam ego hic ero.

90 Cave quemquam alienum in aedis intromiseris,
Quod quispiam ignem quaserat, extinguere volo,
Ne causae quid sit, quod te quisquam quaeritet;
Nam si ignis vivet, tu extinguere extempulo.
Tum aquam aufugisse dicito, si quis petet,

95 Cultrum, securim, pistillum, mortarium,
Quae utenda vasa semper vicini rogant,
Fures venisse atque abstulisse dicito.
Profecto in aedis meas me absente neminem
Volo intromitti; atque etiam hoc praedico tibi:

100 Si Bona Fortuna veniat, ne intromiseris.

STAPHYLA: Pol ea ipsa, crede, ne intromittatur cavet:
Nam ad aedis nostras nusquam adit quemquam prope.

EUCLIO: Tace atque abi intro.

STAPHYLA: Taceo atque abeo.

EUCLIO: Occlude, sis,
Fores ambobus pessulis; iam ego hic ero.

105 Discrucior animi, quis ab domo abundumst mihi.
Nimis hercle invitus abeo; sed, quid agam, scio.
Nam noster, nostrae quist magister curiae,
Dividere argenti dixit nummos in viros.
Id si relinquo ac non peto, omnes ilico

110 Me suspicentur, credo, habere aurum domi;
 Nam verisimile non est hominem pauperem
 Pauxillum parvi facere quin nummum petat.
 Nam nunc, quom celo sedulo omnis, ne sciant,
 Omnem videntur scire, et me benignius

115 Omnes salutant, quam salutabant prius;
 Adeunt, consistunt, copulantur dexteras;
 Rogitant me, ut valeam, quid agam, quid rerum
 geram.

Nunc, quo profectus sum, ibo; postidea domum
 Me rursus, quantum potero, tantum recipiam.

.....

EUCLIO, STROBILUS.

EUCLIO: I foras, lumbrice, qui sub terra erepsisti modo,
 Qui modo nusquam comperebas; nunc, quom compa-
 res, peri.

630 Ego pol te, praestrigiator, miseris iam accipiam
 modis.

STROBILUS: Quae te mala crux agitat? Quid tibi necumst
 commercii, senex?
 Quid me adflictas? Quid me raptas? Qua me causa
 verberas?

EUCLIO: Verberabilissime, etiam rogitas? non fur, sed
 trifur . . .

STROBILUS: Quid tibi subripui?

EUCLIO: Redde huc, sis.

STROBILUS: Quid tibi vis reddam?

EUCLIO: Rogas?

635 STROBILUS: Nihil equidem tibi abstuli.

EUCLIO: At illud, quod tibi abstuleras, cedo.

Ecquid agis?

STROBILUS: Quid agam?

EUCLIO: Mea sufferre non potes.

STROBILUS: Quid vis tibi?

EUCLIO: Pone.

STROBILUS: Id quidem pol te dictare credo consuetum, senex.

EUCLIO: Pone hoc, sis. Aufer cavillam: non ego nunc

nugas ago.

STROBILUS: Quid ego ponam? Quin tu eloquere, quidquid est,

suo nomine.

640 Non hercle equidem quidquam sumpsi nec tetigi.

EUCLIO: Ostende huc manus.

STROBILUS: Em, tibi ostendi: eccas.

EUCLIO: Video. Age, ostende etiam tertiam.

STROBILUS: Laruae hunc atque intemperiae insanisaeque agi-

tant senem.

Facin mi iniuriam, an non?

EUCLIO: Fateor, quia non pendes, maxumam;

Atque id quoque iam fiet, isi fatere.

STROBILUS: Quid fatear tibi?

EUCLIO: Quid abstulisti hinc?

645 STROBILUS: Di me perdent, si ego tui quidquam abstuli,

Nive adeo abstulisse vellem.

EUCLIO: Agedum, excutedum pallium

STROBILUS: Tuo arbitrato.

EUCLIO: Ne inter tunicas habeas.

STROBILUS: Tempta, qua lubet.

EUCLIO: Vah! scelestus quam benigne, ut ne abstulisse
intellegam!

Novi sycophantias tuas. Age, rursum ostende
huc manum

Dexteram.

650

STROBILUS: En.

EUCLIO: Nunc laevam ostende.

STROBILUS: Quin equidem ambas profero.

EUCLIO: Iam scrutari mitto. Redde huc.

STROBILUS: Quid reddam?

EUCLIO: Ah, nudas agis!

Certe habes.

STROBILUS: Habee ego? quid habeo?

EUCLIO: Non dico: audire expetis.

Id, meum quidquid habes, redde.

STROBILUS: Insanis. Perscrutatus es

Tuo arbitrato, neque tui me quidquam invenisti
penes.

EUCLIO: Mane, mane. Quis ille est, qui hic intus alter erat
tecum simul?

655

Perii hercle: ille nunc intus turbat. Hunc si
amitto, hic abierit.

Postremo hunc iam perscrutavi: hic nihil habet.

Abi, quo lubet.

STROBILUS: Iuppiter te dique perdant.

EUCLIO: Haud male agit hic gratias.

Ibo intro atque illi socienno tuo iam inter-
stringam gulam.

660 Fugin hinc ab oculis? abin, an non?

STROBILUS: Abeo.

EUCLIO: Cave sis revideam.

E U C L I O

Perii, interii, occidi! Quo curram? Quo non curram?

Tene, tene! Quem? quos?

Nescio. Nil video: caecus eo; atque equidem, quo
eam, aut ubi sim, aut qui sim,

715 Nequeo cum animo certum investigare. Obsecro vos
ego, mi auxilio,

Oro, obtestor, sitis et hominem demonstratis, qui
eam abstulerit.

Quid est, quod ridetis? Novi omnis: scio fures esse
hic compluris,

Qui vestitu et creta occultant sese atque sedent, quasi
sint frugi.

Quid ais tu? Tibi credere certumst; nam esse bonum
ex voltu cognosco.

720 Em, nemo habet horum? Occidisti. Dic igitur, quis
habet. Nescis?

Heu me miserum! Misere perii: male perditus, pessume
ornatus eo:

Tantum gemiti et malae maestitiae mi hic dies obtulit,
famem et pauperiem.

Ferditissumus ego sum omnium in terra. Quid mi optust
vita qui tantum auri

Ferdidi, quod concustodivi sedulo? Egom et me
defraudavi

725 Animumque meum geniumque meum. Nunc adeo alii
laetificantur.

Meo damno et malo. Pati nequeo!

MILES GLORIOSUS

PYRGOPOLINICES CUM SATELITIBUS, ARTOTROGUS.

PYRGOPOLINICES: Curate ut splendor meo sit clupee clarior,
Quam solis radii esse olim, quem sudumst,
solent:

Ut, ubi usus veniat, contra conserta manu
Praestringat oculorum aciem in acie hos-
tibus.

5 Nam ego hanc machaeram mihi consolari volo,
Ne lamentetur neve animum despendeat,
Quia se iampridem feriatam gestitem,
Quae misera gestit fartum facere ex
hostibus.

Sed ubi Artotrogus hic est?

ARTOTROGUS: Stat propter virum
10 Fortem atque fortunatum et forma regia.
Tam bellatorem Mars se haud ausit dicere,
Neque aequiperare suas virtutes ad tuas.

PYRGOPOLINICES: Quemne ego servavi in campis curculis
donis,

Ubi Bombomachides Clutumistharidysarchides

15 Erat imperator summus, Neptuni nepos?

ARTOTROGUS: Memini: nempe illum dicis cum armis

aureis,

Quocius tu legiones difflavisti spiritu,

Quasi ventus folia aut paniculum tecto-

rium

PYRGOPOLINICES: Istue quidem edepol nihil est.

ARTOTROGUS: Nihil hercle hoc quidemst,

20 Praeut alia dicam, - quae tu numquam

feceris !

Periuriorem hoc hominem si quis viderit

Aut gloriarum plenior, quam illic est;

Me sibi is habeto: egomet me ei mancupio

dabo -

Nisi unum: epityrum illi estur insane

bene!

25 PYRGOPOLINICES: Ubi tu es?

ARTOTROGUS: Eccum, edepol vel elephant, in India

Quo pacto pugne praefregisti bracchium.

PYRGOPOLINICES: Quid ? bracchium ?

ARTOTROGUS: Illud dicere volui, femur.

PYRGOPOLINICES: At indiligenter iceram.

ARTOTROGUS: Pol si quidem

Conisus esses, per corium, per viscera

30 Perque os elephantis transmineret bracchium.

PYRGOPOLINICES: Nolo istaec hic nunc.

ARTOTROGUS: Ne hercle operae pretium quidemst

Mihi te narrare, tuas qui virtutes sciam.
Venter creat omnis hasce sermone: auribus
Perhauriunda sunt, ne dentes dentiant,
Et adsentandumst, qui quid hic mentibitur.

35

PYRGOPOLINICES: Quid illuc quod dico?

ARTOTROGUS: Ehem, scio iam quid vis dicere:
Factum herclest: memini fieri.

37 PYRGOPOLINICES: Quid id est?

ARTOTROGUS: Quicquid est.

42 PYRGOPOLINICES: Ecquid meministi?

ARTOTROGUS: Memini: centum in Cilicia
Et quinquaginta, centum in Scytholatronia,
Triginta Sardi, sexaginta Macedones
Sunt, omnes quos tu occidisti uno die.

PYRGOPOLINICES: Quanta istaec hominum summast?

ARTOTROGUS: Septem milia.

PYRGOPOLINICES: Tantum esse oportet: recte rationem tenes.

ARTOTROGUS: At nullos habeo scriptos: sic memini
tamen.

PYRGOPOLINICES: Edepol memoria's optima.

ARTOTROGUS: Offse monent.

50 PYRGOPOLINICES: Dum tale facies, quale adhuc, adsidue
edes:

Communicabo semper te mense mea.

ARTOTROGUS: Quid in Cappadocia, ubi tu quingentos
simul,

Ni hebes machaera foret, uno ictu occide-
ras?

PYRGOPOLINICES: At peditastelli quia erant, sivi vive-
rent.

55 ARTOTROGUS: Quid ego dicam, quod omnes mortales sciunt,
Te, Pyrgopolinice, unum in terra vivere
Virtute et forma et factis invictissimum?
Amant te omnes mulieres, neque iniuria,
Qui sis tam pulcher. Vel illae, quae heri
pallio
Me reprehenderunt.

60 PYRGOPOLINICES: Quid esse dixerunt tibi?

ARTOTROGUS: Rogitabant: 'hicin' Achilles est?'
'Immo eius frater inquam. ibi illarum
altera:
'Ergo mecastor pulcher est' inquit mihi
'Et liberalis, vide, caesaries quam decet.

PYRGOPOLINICES: Itane sibi tandem?

ARTOTROGUS: Quae me ambae opsecraverint,
Ut te hodie quasi pompam illac praeterducerem?

PYRGOPOLINICES: Nihil est miseris, nimis pulchrum esse homi-
nem.

ARTOTROGUS: 'Immo itast:
Molestae sunt: orant, ambiunt, exopsecrant,
70 Videre ut liceat: ad sese accersi iubent:
71 Ut tuo non liceat operam dare negotio.

38 PYRGOPOLINICES: Haben -

ARTOTROGUS: Tabellas? vis rogare? habeo, et stilum.

39 PYRGOPOLINICES: Facete advertis tuum animum ad animum
meum.

- 40 ARTOTROGUS: Novisse mores tuos me meditare decet,
41 Curamque adhibere, ut praeolat mihi
quod tu velis.
- 72 PYRGOPOLINICES: Videtur tempus esse ut eamus ad forum:
Ut in tabellis quos consignavi hic heri
Latrones, ibus dinumerem stipendium.
- 75 Nam rex Seleucus me opere oravit maximo,
Ut sibi latrones cogere et conscriberem.
Regi hunc diem mihi operam decretumst
dare.
- ARTOTROGUS: Age eamus ergo.
- PYRGOPOLINICES: Sequimini satellites.

MOSTELLARIA

PHILOLACHES:

- 91 Novarum aedium esse arbitror similem ego hominem.
Quando hic natus est; ei rei argumenta dicam,
.
- 101 Aedes quom extemplo sunt paratae, expolitae,
Factae probe examussim,
Leudent fabrum atque aedis probant; sibi quisque
inde exemplum expetunt;
Sibi quisque similis volt suas; sumptus, operam haud
parcunt suam.
- 105 Atque ubi ille in migrant nequam homo, indiligens,
Cum pigra familia, immundus, instrenuos,
Hic iam aedibus vitium additur, bonae quom curantur male.

- Atque illud saepe fit: tempestas venit,
Confringit tegulas imbricesque; ibi
110 Dominus indiligens reddere alias nevolt.
Venit imber, lavit parietes: perpluont;
Tigna putrefacit, perdit operam fabri;
Nequior factus iam est usus aedium.
Atque ea haud est fabri culpa; sed magna pars
115 Morem hunc induxerunt: si quid nummo sarciri potest,
Usque mantant, neque id faciunt donicum
Parietes ruont. Aedificantur aedes totae denuo.
Haec argumenta ego aedificiis dixi; nunc etiam volo
Dicere, ut homines aedium esse similis arbitremini.
120 Primumdum parentes fabri liberum sunt
Ei fundamentum substruont liberorum;
Extollunt; parant sedulo in firmitatem
Et, ut in usum boni et in speciem populo sint
Sibique, haud materiae reparcunt,
125 Nec sumptus sibi sumptui esse ducunt;
Expoliunt, docent litteras, iura, leges sumptuo suo et
labore.
Nituntur, ut alii sibi esse illorum similis expetant.
Ad legionem adminiculum eis danunt
130 Tum iam aliquem cognatum suom.
Eatenus abeunt a fabris. Unum ubi emeritumst stipendium,
Igitur tum specimen cernitur, quo eveniat aedificatio.
Nam ego ad illud frugi usque et probus fui,
In fabrorum potestate dum fui.
135 Posteaquam inmigravi in ingenium meum,

Perdidi operam fabrorum ilico oppido.

Venit ignavis; ea mihi tempestas fuit;

Mihi adventu suo grandinem imbremque adtulit.

Haec verecundiam mihi et virtutis modum

140 Deturbavitque detexitque a me ilico.

Postilla me obtigere iam neglegens fui.

Continuꝰ pro imbre amor advenit:

Is usque in pectus permanavit, permadefecit cor meum.

Nunc simul res, fides, fama, virtus, decus,

145 Deseruerunt; ego sum in usum factus nimio nequior.

Atque ita edepol tigna umiditate putent: non videor mihi

Sarcire posse aedis meas, quin totae perpetuae ruant,

Quem fundamenta perierint nec quisquam esse auxilio

quest.

Cor dolet, quom scio ut nunc sum atque ut fui;

150 Que neque industrior de iuventute erat

Quisquam nec clarior arte gymnastica,

Disce, hestis, pile, cursu, armis, equo.

Meo animo haud victitabam volup;

Parsimonia et duritia disciplinae aliis eram:

155 Optumi quique expetebant a me doctrinam sibi.

Nunc, postquam nihil sum, id vero meopte ingenio repperi.

R U D E N S

PISCATORES

290 Omnibus modis, qui pauperes sunt homines, miseri vivont,

Praesertim quibus nec quaestus est, nec artem didicere

ullam.

Necessitate, quidquid est domi, id sat est habendum.
Nos iam de ornatu propemodum, ut locupletes simus,
scitis.

Hisce hami atque hæc herundines sunt nobis quæstu et
cultu.

295 Cotidie ex urbe ad mare huc prodimus psbulatum.

Pro exercitu gymnastico et palaestrico hoc habemus:
Echinos, lopedes, ostreas, balanos captamus, conchas,
Marinam urticam, musculos, plagusias striatas.

Post id piscatum hamatilem et saxatilem adgredimur,

300 Cibum captamus e mari. Si eventus non evenit

Neque quicquam captumst piscium, salsi lautique pure
Domum redimus clanculum, dormimus incenati.

Atque, ut nunc valide fluctuat mare, nulla nobis spes
est:

Nisi quid concharum capsimus, cenati sumus profecto.

305 Nunc Venerem hanc veneremur bonam, ut nos lepide adiu-
verit hodie.

CONSILIUM
0.12.20
BIBLIOTECA DIGITALA
UNIVERSITATIS
HUNGARICÆ
SCIENTIARUM
ET
LITTERARUM

C. I U L I U S C A E S A R

(100 - 44 i.e.n.)

COMMENTARII DE BELLO GALLICO

LIBER SEXTUS

XIII.1. In omni Gallia, eorum hominum qui aliquo sunt numero atque honore, genera sunt duo. Nam plebes paene saevorum habetur loco, quae nihil audet per se, nullo adhibetur consilio. (2). Plerique, cum aut aere alieno, aut magnitudine tributorum, aut iniuriis potentiorum premuntur, sese in servitudinem dicunt nobilibus, quibus in hos eadem omnia sunt iura quae dominis in servos. (3). Sed de his duobus generibus alterum est Druidum, alterum Equitum. (4). Illi rebus divinis intersunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur; ad eos magnus adolescentium numerus disciplinae causa concurrat, magnoque hi sunt apud eos honore. (5). Nam fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituunt, et, si quod est admissum facinus, si caedes facta, si de hereditate, si de finibus controversia est, idem decernunt, praemia poenasque constituunt; (6). si qui aut privatus aut populus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicit. Haec poena apud eos est gravissima. (7). Quibus ita est interdictum, hi numero impiorum ac sceleratorum habentur, his omnes decedunt,

aditum seromonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque his petentibus ius redditur neque honos ullus communicatur. (8). His autem omnibus Druidibus praeest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem. (9). Hoc mortuo, aut, si qui ex reliquis excellit dignitate, succedit, aut, si sunt plures pares, suffragium Druidum, nonnumquam etiam armis de principatu contendunt. (10). Hi certe anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes undique qui controversias habent conveniunt, eorum decretis iudiciisque parent. (11). Disciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimatur; (12). et nunc, qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque ille discendi causa proficiscuntur.

XIV. (1) Druides a bello abesse consuerunt, neque tributa una cum reliquis pendunt; militiae vocationem omniumque rerum habent immunitatem. (2). Tantis excitati praemiis, et sua sponte multi in disciplinam conveniunt et a parentibus propinquisque mittuntur. (3). Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur: itaque annos nonnulli vicenos in disciplina permanent. Neque fas esse existimant ea litteris mandare, cum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, Graecis litteris utantur. (4). Id mihi duabus de causis instituisse videntur, quod neque in vulgum disciplinam efferrī velint, neque eos, qui discunt, litteris confisos minus memoriae studere; quod fere plerisque accidit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. (5). In primis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post

mortem transire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari putent, metu mortis neglecto. (6). Multa praeterea de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac potestate disputant et iuventuti tradunt.

XV.(1) Alterum genus est Equitum. Hi, cum est usus atque aliquod bellum incidit - quod fere ante Caesaris adventu quantum accidere solebat, uti aut ipsi iniurias inferrent, aut illatas propulsarent, - omnes in bello versantur; (2) atque eorum ut quisque est genere copiosusque amplissimus, ita plurimos circum se ambactos clientesque habet. Hanc unam gratiam potentiamque noverunt.

XVI.(1). Natio est omnium Gallorum admodum dedita religionibus, (2) atque, ob eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in proeliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolent aut se immolatuos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur, (3) quod, pro vita hominis nisi hominis vita reddatur, non posse deorum immortalium numen placari arbitrantur; publiceque eiusdem generis habent instituta sacrificia. (4). Alii immani magnitudine simulacra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent; quibus succensis circumventi flamma exanimantur homines. (5). Supplicia eorum, qui in furto aut in latrocinio aut aliqua noxa sint comprehensi, gratiora dis immortalibus esse arbitrantur; sed, cum eius generis copia defecit, etiam ad innocentium supplicia descendunt.

XVII.(1). Deum maxime Mercurium colunt; huius sunt plurime simulacra; hunc omnium inventorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad questus pecuniæ mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. (2). Post hunc, Apollinem et Martem et Iovem et Minervam. De his eandem fere quem reliquæ gentes habent opinionem: Appolinem morbos depellere, Minervam operum atque artificiorum initia tradere, Iovem imperium cælestium tenere, Martem bella regere. (3). Huic, cum proelio dimicare constituerunt, ea, quæ bello ceperint, plerumque devovent; cum superaverunt, animalia capta immolant reliquasque res in unum locum conferunt. (4). Multis in civitatibus harum rerum extractos tumulos locis consecratis conspiciari licet; neque sæpe accidit ut, neglecta quispiam religione, aut capta apud se occultare aut posita tollere auderet, gravissimumque ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est.

XVIII.(1) Galli se omnes ab Dite patre prognatos prædicant, idque ab Druidibus proditum dicunt. (2). Ob eam causam, spatium omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt; dies natales et mensium et annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur. (3) In reliquis vitæ institutis, hoc fere ab reliquis differunt, quod suos liberos, nisi cum adoleverunt, ut munus militiæ sustinere possint, palam ad se adire non patiuntur, filiumque puerili ætate in publice in conspectu patris assistere turpe ducunt.

XIX.(1). Viri, quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis, aestimatione facta,

cum dotibus communicant. Huius omnis pecuniae coniunctim ratio habetur fructusque servantur; uter eorum vita superavit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit. (3). Viri in uxores, sicuti in liberos, vitae necisque habent potestatem, et cum pater familiae illustriore loco natus decessit, eius propinqui conveniunt, et, de morte si res in suspicionem venit, de uxoribus in servilem modum quaestionem habent, et, si compertum est, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. (4) Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica et sumptuosa; omniaque, quae vivis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia; ac paulo supra hanc memoriam servi et clientes, quos ab iis dilectos esse constabat, iustis funeribus confectis, una oremabantur.

XX.(1). Quae civitates commodius suam rem publicam administrare existimantur, habent legibus sanctum, si quis quid de re publica a finitimis rumore aut fama acceperit, (2) uti ad magistratum deferat neve cum quo alio communicet, quod saepe homines temerarios atque imperitos falsis rumoribus terreri et ad facinus impelli et de summis rebus consilium capere cognitum est. (3). Magistratus quae visa sunt occultant, quaeque esse ex usu iudicaverunt multitudini produnt. De re publica nisi per concilium loqui non conceditur.

LIBER SEPTIMUS

I. Quia Gallia, Caesar, ut constituerat, in Italiam ad conventus agendos proficiscitur. Ibi cognoscit de Clodii caede; de senatusque consulto certior factus, ut omnes iuniores Italiae coniurarent, dilectum tota Provincia habere instituit. Haec res in Galliam Transalpinam celeriter perferuntur. Addunt ipsi et affingunt rumoribus Galli, quod res poscere videbatur, retineri urbano motu Caesarem neque in tantis dissensionibus ad exercitum venire posse. Hac impulsione, quoniam iam ante se populi Romani imperio subiectos dolerent, liberius atque audacius de bello consilia inire incipiunt. Indictis inter se principes Galliae conciliis silvestribus ac remotis locis, queruntur de Acconis morte; posse hunc casum ad ipsos recidere demonstrant; miseratur communem Galliae fortunam; omnibus pollicitationibus ac praemiis deprecantur qui belli initium faciant et sui capitis periculo Galliam in libertatem vindicent. Imprimis rationem esse habendam dicunt, priusquam eorum clandestina consilia efferantur, ut Caesar ab exercitu intercludatur. Id esse facile, quod neque legiones audeant, absente imperatore, ex hibernis egredi, neque imperator sine praesidio ad legiones pervenire possit. Postremo in acie praestare interfici quam non veterem belli gloriam libertatemque quam a maioribus acceperint recuperare.

II. His rebus agitatissimis, profitentur Carnutes " se nullum periculum communis salutis causa recusare, principesque ex omnibus bellum facturos pollicentur; et, quoniam in praesentia obsidibus cavere inter se non possint, ne res efferatur,

ut iureiurando ac fide sanciatum petunt, collatis militaribus signis - quo, more eorum, gravissima caerimonia continetur, - ne, facto initio belli, ab reliquis deserantur. Tum collaudatis Carnutibus, dato iureiurando ab omnibus qui aderant, tempore eius rei constituto, ab concilio disceditur.

III. Ubi ea dies venit, Carnutes, Gaturato et Connetodumno ducibus, desperatis hominibus, Cenabum signo dato concurrunt civesque Romanos, qui negotiandi causa ibi constiterant, in his C. Fufium Citam, honestum equitem Romanum, qui rei frumentariae iussu Caesaris praerat, interficiunt bonaque eorum diripiunt. Celeriter ad omnes Galliae civitates fama perfertur. Nam ubi quae maior atque illustrior incidit res, clamore per agros regionesque significant; hunc alii deinceps excipiunt et proximis tradunt, ut tum accidit; nam quae Cenabi oriente sole gesta exrent, ante primam confectam vigiliam in finibus Arvernorum audita sunt; quod spatium est milium passuum circiter centum LX.

IV. Simili ratione ibi Vercingetorix, Celtilli filius, Arvernus, summae potentiae adulescens, - cuius pater principatum Galliae totius obtinuerat et ob eam causam, quod regnum appetebat, ab civitate erat interfectus, - convocatis suis clientibus, facile incendit. Cognite eius consilio, ad arma concurritur. Prohibetur ab Gobannione, patruo suo, reliquisque principibus qui hanc tentandam fortunam non existimabant; expellitur ex oppido Gergovia; non destitit tamen atque in agris habet dilectum egentium ac perditorum. Hac coacta manu, quoscumque adit ex civitate ad suam sententiam perducit;

hortatur ut communis libertatis causa arma capiant, magnisque coactis copiis, adversarios suos, a quibus paulo ante erat electus, expellit ex civitate. Rex ab suis appellatur. Dimittit quoqueversus legationes; obtestatur ut in fide maneant. Celeriter sibi Senones, Parisios, Pictones, Cadureos, Turones, Aulereos, Lemovices, Andos reliquesque omnes, qui Oceanum attingunt, adiungit; omnium consensu ad eum defertur imperium. Qua oblata potestate, omnibus his civitatibus obsides imperat, certum numerum militum ad se celeriter adduci iubet, armorum quantum quaeque civitas domi, quodque ante tempus efficiat, constituit; imprimis equitatus studet. Summae diligentiae summam imperii severitatem addit; magnitudine supplicii dubitantes cogit; nam, maiore commisso delicto, igne atque omnibus tormentis necat; levioere de causa auribus desectis aut singulis effossis oculis, domum remittit, ut sint reliquis documento et magnitudine poenae perterreant alios.

V. His suppliciis celeriter coacto exercitu, Luc-
terium Cadurcum summae hominem audaciae, cum parte copiarum in Rutenos mittit; ipse in Bituriges proficiscitur. Eius adventu Bituriges ad Haeduos, quorum erant in fide, legatos mittunt subsidium rogatum, quo facilius hostium copias sustinere possit. Haedui, de consilio legatorum quos Caesar ad exercitum reliquerat, copias equitatus peditatusque subsidio Biturigibus mittunt. Qui cum ad flumen Ligerim venissent, quos Bituriges ab Haeduis dividit, paucos dies ibi morati, neque flumen transire susi, domum revertuntur, legatisque nostris renuntiant se Biturigum perfidiam veritos revertisse, quibus id consilii

fuisse cognoverint, ut, si flumen transissent, una ex parte ipsi, altera Arverni se circumstiterent. Id eane de causa, quam legatis pronuntiarunt, an perfidia adducti fecerint, quod nihil nobis constat, non videtur pro certe esse ponendum. Bituriges eorum discessu statim cum Arvernibus iunguntur.

VI. His rebus in Italiam Caesari nuntiatis, cum iam ille urbanas res virtute Cn. Pompei commodiorum in statum pervenisse intellegeret, in Transalpinam Galliam profectus est. Eo cum venisset, magna difficultate afficiebatur, qua ratione ad exercitum pervenire posset. Nam, si legiones in Provinciam accesserent, se absente in itinere proelie dimicaturas intellegebat; si ipse ad exercitum contenderet, ne illis quidem, qui eo tempore quieti viderentur, suam salutem recte committi videbat.

VII. Interim Lucterius Cadureus, in Rutenos missus, eam civitatem Arvernibus conciliat. Progressus in Nitioibriges et Gabalos, ab utrisque obsides accipit, et, magna coacta manu, in Provinciam, Narbonem versus, eruptionem facere contendit. Quae re nuntiata, Caesar omnibus consiliis anteverendum existimavit, ut Narbonem proficisceretur. Eo cum venisset, timentes confirmat, praesidia in Rutenis provincialibus, Volcis Arecomis, Tolosatibus circumque Narbonem, quae loca hostibus erant finitima, constituit; partem copiarum ex Provincia supplementumque, quod ex Italia adduxerat, in Helvios, qui fines Arvernorum contingunt, convenire iubet.

VIII. His rebus comparatis, represso iam Lucterio et remoto, quod intrare intra praesidia periculosum putabat, in Helvios proficiscitur. Atsi mons Cevenna, qui Arvernos ab Helviis discludit, durissimo tempore anni, altissima nive iter impediēbat, tamen discussa nive sex in altitudinem pedum atque ita viis patefactis summo militum sudore ad fines Arvernorum pervenit. Quibus oppressis inopinantibus, quod se Cevenna ut muro munitos existimabant, ac ne singulari quidem unquam homini eo tempore anni semitae patierant, equitibus imperat ut, quam latissime possint vagentur et quam maximum hostibus terrorem inferant. Celeriter haec fama ac nuntii ad Vercingetorigem perferuntur; quem perterriti omnes Arverni circumstant atque obsecrant ut suis fortunis consulat ne ab hostibus diripiantur, praesertim cum videat omne ad se bellum translatum. Quorum ille precibus permotus, castra ex Biturigibus movet in Arvernos versus.

LXXXVII. Mittit primo Brutum adulescentem cum cohortibus Caesar, post cum aliis C. Fabium legatum; postremo ipse, cum vehementius pugnaretur, integros subsidio adducit. Restituto proelio ac repulsis hostibus, eo quo Labienum miserat contendit; cohortes IV ex proximo castello deducit, equitum partem se sequi, partem circumire exteriores munitiones et ab tergo hostes adoriri iubet. Labienus, postquam neque aggeres neque fossae vim hostium sustinere poterant, coactis una XL cohortibus, quae ex proximis praesidiis deductas fors obtulit, Caesarem per nuntios facit certiores quid faciendum existimet. Accelerat Caesar ut proelio intersit.

LXXXVIII. Eius adventu ex colore vestitus cognito - quo insigni in proeliis uti consuerat, - turmisque equitum et cohortibus visis quae se sequi iusserat, ut de locis superioribus haec declivia et devexa cernebantur, hostes proelium committunt. Utrimque clamore sublato, excipit rursus ex vallo atque omnibus munitionibus clamor. Nostri, omissis pilis, gladiis rem gerunt. Repente post tergum equitatus cernitur; cohortes aliae appropinquant. Hostes terga vertunt; fugientibus equites occurrunt. Fit magna caedes. Sedulius, dux et princeps Lemovicum, occiditur; Vercassivellaunus Arvernus vivus in fuga comprehenditur; signa militaria LXXIV ad Caesarem referuntur; pauci ex tanto numero se incolumes in castra recipiunt. Conspicati ex oppido caedem et fugam suorum, desperato salute, copias a munitionibus reducunt. Fit protinus, hac re audita ex castris Gallorum fuga. Quod nisi erebris subsidiis eo tertius diei labore milites essent defessi, omnes hostium copiae deleri potuissent. De media nocte missu equitatus novissimum agmen consequitur; magnus numerus capitur atque interficitur; reliqui ex fuga in civitates discedunt.

LXXXIX. Postero die Vercingetorix, consilio convocato, id bellum se suscepisse non suarum necessitatum, sed communis libertatis causa, demonstrat, et quoniam sit fortunae cedendum, ad utramque rem se illis offerre, seu morte sua Romanis satisfacere seu vivum tradere velint. Mittuntur de his rebus ad Caesarem legati. Iubet arma tradi, principes produci. Ipse in munitione pro castris consedit; eo duces producuntur; Vercingetorix deditur, arma proiciuntur. Reservatis

Hæduis atque Arvernīs, si per eos civitates recuperare posset,
ex reliquis captivis toto exercitui capita singula prædæ
nomine distribuit.

M. TULLIUS CICERO

(106 - 43 f.e.n.)

IN C. VERREM

ACTIO SECUNDA

DE SIGNIS

XIII.30. Iam, ut haec omnia reperire ac perscrutari solitus sit, iudices, est operae pretium cognoscere. Cibyrateae sunt fratres quidam, Tlepolemus et Hiero, quorum alterum fingere opinor e cera solitum esse, alterum esse pictorem. Hosce opinor, Cibyrae cum in suspicionem venissent suis civibus fanum expilasse Apollinis, veritos poenam iudicii ac legis, domo profugisse. Quod Verrem artificii sui cupidum cognoverant tum, cum iste, id quod ex testibus didicistis, Cibyram cum inanibus syngraphis venerat, domo fugientes ad eum se exules, cum iste esset in Asia, contulerunt. Habuit eos secum illo tempore et in legationis praedis atque furtis multum illorum opera consilioque usus est. 31. Hi sunt illi, quibus in tabulis refert sese Q. Tadius "dedisse iussu istius Graecis pictoribus". Eos iam bene cognitos et re probatos secum in Siciliam duxit. Quo posteaquam venerunt, mirandum in modum (canes venaticos dicemus) ita odorabantur omnia et pervestigabant, ut, ubi quidque esset, aliqua ratione invenirent. Aliud minando, aliud polli-

cendo aliud per servos, aliud per liberos, per amicum aliud, aliud per inimicum inveniebant; quicquid illis placuerat, perdendum erat. Nihil aliud optabant, quorum posebatur argentum, nisi ut id Hieroni et Tlepolemo displiceret.

XIV.32. Verum mehercule hoc, iudices, dicam. Memini

Pamphilum Lilybetanum, amicum et hospitem meum, nobilem hominem, mihi narrare, cum iste ab sese hydriam Boethi manu factam praeclearo opere et grandi pondere per potestem abstulisset, se sane tristem et conturbatum domum revertisse, quod vas eius modi, quod a patre et a maioribus esset relictum, quo solitus esset uti ad festos dies, ad hospitem adventus, a se esset ablatum. "Cum sederem, inquit, domi tristis, accurrit Venerius; iubet me scyphos sigillatos ad praetorem statim afferre. Permotus sum, inquit; binos habebam; iubeo promi utrosque, ne quid plus mali nasceretur, et necum ad praetoris domum ferri. Ne cum venio, praetor quiescebat; fratres illi Cibratae inambulabant. Qui me ubi viderunt: "ubi sunt, Pamphile, inquit, scyphi?" Ostende tristis; laudent. Incipio queri me nihil habiturum, quod alicuius esset pretii, si etiam scyphi essent ablati. Tum illi, ubi me conturbatum vident: "Quid vis nobis dare, ut isti abs te ne auferantur?" Ne multa, HS mille me, inquit, poposcerant; dixi me daturum. Vocat interea praetor, poscit scyphos". Tum illos coepisse praetori dicere putasse se, id quod audissent, alicuius pretii scyphos esse Pamphili; luteum negotium esse, non dignum, quod in suo argento Verres haberet. Ait ille idem sibi videri. Ita Pamphilus scyphos optimos auferat.

XXII.51. Illa vero optime, quod, cum Haluntium venisset praetor laboriosus et diligens, ipse in oppidum noluit accedere, quod erat difficili ascensu atque arduo. Archagathum Haluntinum, hominem non solum domi, sed tota Sicilia in primis nobilem, vocari iussit. Ei negotium dedit, ut, quicquid Haluntii esset argenti caelati aut si quid etiam Cerinthiorum, ut omne statim ad mare ex oppido deportaretur. Escendit in oppidum Archagathus. Homo nobilis, qui a suis amari et diligi vellet, ferebat graviter illam sibi provinciam datam, nec quid faceret habebat; pronuntiat quid sibi imperatum esset, iubet omnes proferre, quod haberent. Metus erat summus; ipse enim tyrannus non discedebat longius: Archagathum et argentum in lectica cubans ad mare infra oppidum expectabat. 52. Quem concursum in oppido factum putatis, quem clamorem, quem porro fletum mulierum? Qui videret, equum Troianum introductum, urbem captam diceret. Efferrī sine thecis vasa, extorqueri alia e manibus mulierum, effringi multorum fores, revelli claustra. Quid enim putatis? Scuta si quando conquiruntur a privatis in bello ac tumultu, tamen homines inviti dant, etsi ad salutem communem dari sentiunt; ne quem putetis sine maximo dolore argentum caelatum domo, quod alter eriperet, protulisset. Omnia deferuntur. Cibyraetae fratres vocantur; pauca improbant; quae proberant, iis crustae aut emblemata rehebantur. Sic Haluntini excussis deliciis cum argento puro domum revertuntur.

XXVII. Venio nunc non iam ad furtum, non ad avaritiam, non ad cupiditatem, sed ad eius modi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi atque inesse videantur, in quo di immortales

violati, existimatio atque auctoritas nominis populi Romani imminuta, hospitium spoliatum ac proditum, ab alienati scelere istius a nobis omnes reges amicissimi nationesque, quae in eorum regno ac ditione sunt.

61. Nam reges Syriae, regis Antiochi filios pueros, scitis Romae nuper fuisse; qui venerant non propter Syriae regnum (nam id sine controversia obtinebant, ut a patre et a maioribus acceperant); sed regnum Aegypti ad se et ad Selenam matrem suam pertinere arbitrabantur. Ii posteaquam temperibus rei publicae exclusi per senatum agere, quae voluerant, non petuerunt, in Syriam in regnum patrum profecti sunt. Eorum alter, qui Antiochus vocatur, iter per Siciliam facere veluit, itaque isto praetore venit Syracusas. 62. Hic Verres hereditatem sibi venisse arbitratus est, quod in eius regnum ac manus venerat is, quem iste et audierat multa secum praeclara habere et suspicabatur. Mittit homini munera satis large, haec ad usum domesticum; olei, vini quod visum est, etiam tritici quod satis esset, de suis decumis. Deinde ipsum regem ad cenam vocavit. Exornat ample magnificeque triclinium; exponit ea, quibus abundabat, plurima et pulcherrima vasa argentea, nam haec aurea nondum fecerat; omnibus curat rebus instructum et paratum ut sit convivium. Quid multa? rex ita discessit, ut et istum copiose ornatum et se honorifice acceptum arbitraretur.

Vocat ad cenam deinde ipse, praetorem; exponit suas copias omnes, multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro, quae, ut nos est regius et maxime in Syria, gemmis erant distincta clarissimis. Erat etiam vas vinarium ex una gemma pergrandi, trulla excavata manubrio auro, de qua, crede, satis

idoneum, satis gravem testem, Q. Minucium, dicere audistis.

63. Iste unumquodque vas in manus sumere, laudare, mirari. Rex gaudere praetori populi Romani satis iucundum et gratum illud esse convivium. Posteaquam inde discessum est, cogitare nihil iste aliud, quod ipsa res declaravit, nisi quemadmodum regem ex provincia spoliatum expilatamque dimitteret. Mittit rogatum vasa ea, quae pulcherrima apud eum viderat; ait se suis caelatoribus velle ostendere. Rex, qui istum non nosset, sine ulla suspitione libentissime dedit. Mittit etiam trullam gemmeam rogatum; velle se eam diligentius considerare. Ea quoque ei mittitur.

XVIII. 64. Nunc reliquum, iudices, attendite, de quo et vos audistis et populus Romanus non nunc primum audiet et in exteris nationibus usque ad ultimas terras pervagatum est. Candelabrum e gemmis clarissimis opere mirabili perfectum reges ii, quos dico, Romam cum attulissent, ut in Capitolio ponerent, quod nondum perfectum templum offenderant, neque ponere potuerunt neque vulgè ostendere ac preferre voluerunt, ut et magnificentius videretur, cum suo tempore in cella Iovis optimi maximi poneretur, et clarius, cum pulchritudo eius recens ad oculos hominum atque integra perveniret, statuerunt id secum in Syriam reportare, ut, cum audissent simulacrum Iovis optimi maximi dedicatum, legatos mitterent, qui cum ceteris rebus illud quoque eximium ac pulcherrimum donum in Capitolium afferrent.

Pervenit res ad istius aures nescio quo modo; nam rex id celatum voluerat, non quo quicquam metueret aut suspicaretur, sed ut ne multi illud ante praeciperent oculis quam populus Romanus. Iste petit a rege et eum pluribus verbis rogat, ut id

ad se mittat; cupere se dicit inspicere neque se aliis videndi potestatem esse facturum.65. Antiochus, qui animo et puerili esset et regio, nihil de istius improbitate suspicatus est; imperat suis, ut id in praetorium involutum quam occultissime deferrent. Quo posteaquam attulerunt involucrisque reiectis constituerunt, clamare iste coepit dignam rem esse regne Syriae, dignam regie munere, dignam Capitolie. Etenim erat ee splendere, qui ex clarissimis et pulcherrimis gemmis esse debebat; ea varietate operum, ut ars certare videretur cum copia; ea magnitudine, ut intellegi posset non ad hominum apparatus, sed ad amplissimi templi ornatum esse factum. Cum statis iam perspexisse videretur, tollere incipiunt, ut referrent. Iste ait se velle illud etiam atque etiam considerare; nequaquam se esse satiatum; iubet illos discedere et candelabrum relinquere. Sic illi tum inanes ad Antiochum revertuntur.

XXIX.66. Rex primo nihil metuere, nihil suspicari; dies unus, alter, plures; non referri. Tum mittit, si videatur, ut reddat. Iubet iste pesterius ad se reverti. Mirum illi videri; mittit iterum; non redditur. Ipse hominum appellat, rogat, ut reddat. Os hominis insignemque impudentiam cognoscite. Quod sciret, quod ex ipso rege audisset in Capitolie esse ponendum, quod Iovi optimo maxime, quod populo Romano servari videret, id sibi ut donaret rogare et vehementissime petere coepit. Cum ille se et religione Iovis Capitolini et hominum existimatione impediri diceret; quod multae nationes testes essent illius operis ac muneris, iste homini minari acerrime coepit. Ubi videt eum nihilo magis minis quam precibus permoveri, repente hominem de provincia iubet ante noctem decedere; ait

se comperisse ex eius regno piratas ad Siciliam esse venturos.

67. Rex maximo conventu Syracusis in foro (ne quis forte me in crimine obscuro versari atque affingere aliquid suspitione hominum arbitretur), in foro, inquam, Syracusis flens ac deos hominesque contestans clamare coepit candelabrum factum e gemmis, quod in Capitolium missurus esset, quod in templo clarissimo populo Romano monumentum suae societatis amicitiaeque esse voluisset, id sibi C. Verrem abstulisse; de ceteris operibus ex auro et gemmis, quae suae penes illum essent, se non laborare, hoc sibi eripi miserum esse et indignum. Id etsi antea iam mente et cogitatione sua fratrisque sui consecratum esset, tamen tum se in illo conventu civium Romanorum dare, donare, dicere, consecrare Iovi optime maximo testemque ipsum Iovem suae voluntatis ac religionis adhibere.

IN VERREM ACTIO SECUNDA - DE SUPPLICIIS

26. Itinerum primum laborem, qui vel maximus est in re militari, iudices, et in Sicilia maxime necessarius, accipite quam facilem sibi et iucundum ratione consiliique reddiderit. Primum temporibus hibernis ad magnitudinem frigorum et tempestatum vim ac fluminum praeclarum hoc sibi remedium compararat; urbem Syracusas elegerat, cuius hic situs atque haec natura esse loci caelique dicitur, ut nullus unquam dies tam magna ac turbulenta ^{tempestate} fuerit quin aliquo tempore eius diei solem homines viderint. Hic ita vivebat iste bonus imperator hibernis mensibus, ut eum non facile non modo extra tectum, sed ne extra lectum quidem quisquam videret.

27. Cum autem ver esse coeperat (cuius initium iste non a Favonio neque ab aliquo astro notabat, sed cum rosam viderat, tum incipere ver arbitrabatur), dabat se labori atque itineribus; in quibus se usque se praebebat patientem atque impigrum, ut eum nemo umquam in equo sedentem viderit, XI. Nam ut mos fuit Bithyniae regibus, lectica octophoro ferebatur; in quo pulvinus erat perlucidus Melitensis rose fartus; ipse autem coronam habebat unam in capite, alteram in colle reticulumque ad nares sibi admovebat tenuissimo line, minutis maculis, plenum rosae. Sic confecte itinere, cum ad aliquod oppidum venerat, eadem lectica usque in cubiculum deferebatur. Eo veniebant Siculorum magistratus, veniebant equites Romani, id quod ex multis iuratis audistis; controversiae secreto deferebantur, paulo post palam decreta auferebantur.

LXI... 160. Gavius hic, quem dico, Consanus, cum in illo numero civium Romanorum ab isto in vincla coniectus esset et nescio qua ratione clam e lautumiis profugisset Messanamque venisset, qui tam prope iam Italiam et moenia Reginerum, civium Romanorum, videret, et ex illo metu mortis ac tenebris quasi luce libertatis et odore aliquo legum recreatis revixisset, loqui Messanae et queri coepit se civem Romanum in vincla coniectum; sibi recte iter esse Roman, Verri se praesto adveniendi futurum.

LXII. Non intellegebat miser nihil interesse, utrum haec Messanae an apud istum in praetorio loqueretur; nam ut antea vos docui, hanc sibi urbem delegerat, quam haberet ad-

itricem scelerum, furtorum receptricem, flagitiorum omnium consciam. Itaque ad magistratum Mamertinum statim deducitur Gavius; eoque ipso die casu Messanam Verres venit. Res ad eum defertur: esse civem Romanum, qui se Syracusis in lautumiis fuisse quereretur; quem iam ingredientem in navem et Verri nimis atrociter minitantem ab se retractum esse et asservatum, ut ipse in eum statueret quod videretur.

161. Agit hominibus gratias et eorum benevolentiam erga se diligentismque collaudat. Ipse inflammatus scelere et furore in forum venit. Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat. Expectabant omnes que tandem progressurus aut quidnam acturus esset, cum repente hominem praeipi atque in fore medio nudari ac deligari et virgas expediri iubet. Clamabat ille miser se civem esse Romanum, municipem Consarnum; meruisse cum L. Raecio, splendidissimo equite Romano, qui Panhormi negotiaretur, ex quo haec Verres scire posset. Tum iste se comperisse cum speculandi causa in Siciliam a ducibus fugitivorum esse missum; cuius rei neque index neque vestigium aliquod neque suspicio cuiquam esset ulla; deinde iubet undique hominem vehementissime verberari. Caedebatur virgis in medio fore Messanae civis Romanus, iudices, cum interea nullus gemitus, nulla vox alia illius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, nisi haec: "Civis Romanus sum". Hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum cruciatumque a corpore delecturum arbitrabatur. Is non modo hoc non perfecit, ut virgarum vim deprecaretur, sed cum imploraret saepius usurparetque nomen civitatis, crux, crux, inquam infelici et aerumnoso, qui nunquam istam pestem viderat, comparabatur.

GRATIO PRO ARCHIA PORTA

VI.12. Quæres a nobis, Grati, cur tanto opere hoc homine delectemur. Quia suppeditat nobis ubi et animus ex hoc ferens strepitu reficiatur et aures convicio defessæ conquiescant. An tu existimas aut suppetere nobis posse, quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina eadem relaxemus? Ego vere fateor me his studiis esse deditum. Ceteros pudeat, si qui ita se litteris abdiderunt, ut nihil possint ex iis neque ad communem afferre fructum neque in aspectum lucemque proferre; me autem quid pudeat, qui tot annes ita vive, iudices, ut a nullius unquam me tempore aut commode aut otium meum abstraxerit aut voluptas avecarit aut denique somnus retardarit? 13. Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure succenseat, si, quantum ceteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipsam requiem animi et corporis conceditur temporum, quantum alii tribuunt tempestivis conviviis, quantum denique alveolo, quantum pileæ, tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumpsero?

Atque hoc eo mihi concedendum est magis, quod ex his studiis hæc quoque crescit oratio et facultas, quæ quantumcumque in me est, numquam amicorum periculis deficit. Quæ si cui levior videtur, illa quidem certe, quæ summa sunt, ex quo fonte hauriam sentio. Nam, nisi multerum præceptis multisque litteris mihi ab adolescentia suasissen nihil esse in vita magno opere expetendum nisi laudem atque honestatem, in ea au-

tem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exilii parvi esse ducenda, numquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem. Sed pleni omnes sunt libri, plene sapientium voces, plena exemplorum vetustas; quae iscerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accederet. Quam multas nobis imagines non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum fortissimorum virorum expressas scriptores et Graeci et Latini reliquerunt! Quas ego mihi semper in administranda re publica proponens, animum et mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformebam.

VII.15. Quereret quispiam: "Quid? illi ipsi summi viri, quorum virtutes litteris proditae sunt, istane doctrina, quem tu effers laudibus, eruditi fuerunt?" Difficile est hoc de omnibus confirmare; sed tamen est certum quod respondeam. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse sine doctrina et naturae ipsius habitu prope divino per se ipsos et moderatos et graves extitisse fateor; etiam illud adiungo, saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego hoc contendo, cum ad naturam eximiam et illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere existere. 16. Ex hoc esse hunc numero, quem patres nostri viderunt, divinum hominem, Africanum; ex hoc C.Laelium, L.Furium, moderatissimos homines et continentissimos; ex hoc fortissimum virum et illis temporibus doctissimum, M.Catonem

illum senem; qui profecto, si nihil ad percipiendam colendam-
que virtutem litteris adiuverentur, numquam se ad earum studium
contulissent.

Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, et si ex
his studiis delectatio sola peteretur, tamen, ut opinor, hanc
animi remissionem humanissimam ac liberalissimam iudicaretis.
Nam ceterae (res) neque temporum sunt neque aetatum omnium ne-
que locorum; et haec studia adolescentiam alunt, senectutem
oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solacium
praebent; delectant domi, non impediunt foris; pernoctant no-
biscum, peregrinantur, rusticantur.

VIII. 17. Quod si ipsi haec neque attingere neque
sensu nostro gustare possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam
cum in aliis videremus. Quis nostrum tam animo agresti ac de-
re fuit, ut Resci morte nuper non commoveretur? qui cum esset
senex mortuus, tamen propter excellentem artem ac venustatem
videbatur omnino mori non debuisse. Ergo ille corporis motu
tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus: nos animorum
incredibiles motus celeritatemque ingeniorum neglegemus? 18.
Quotiens ego hunc Archiam vidi, iudices, (utar enim vestra
benignitate, quoniam me in hoc novo genere dicendi tam dili-
genter attenditis), quotiens ego hunc vidi, cum litteram scrip-
sisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de iis ipsis
rebus, quae tum agerentur, dicere ex tempore, quotiens revoca-
tum eandem rem dicere commutatis verbis atque sententiis! Quae
vero accurate cogitateque scripsisset, ea sic vidi probari,
ut ad veterum scriptorum laudem perveniret. Hunc ego non
diligam, non admirer, non omni ratione defendendum putem? Hunc

ego non diligem, non admirer, non omni ratione defendendum putem?

Atque sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia ex doctrina et praeceptis et arte constare, poetam natura ipsa valere et mentis viribus excitari et quasi divino quodam spiritu inflari. Quare suo iure noster ille Ennius "sanctos" appellat poetas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. 19. Sit igitur, iudices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc poetae nomen, quod nulla unquam barbaria violavit. Saxa et solitudines voci respondent, bestiae saepe immanes cantu flectuntur atque consistunt: nos instituti rebus optimis non poetarum voce moveamur? Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt; Smyrnaei vero suum esse confirmant, itaque etiam delubrum eius in oppide dedicaverunt; permulti alii praeterea pugnant inter se atque contendunt.

IX. Ergo illi alienum, quia poeta fuit, post mortem etiam expetunt: nos hunc vivum, qui et voluntate et legibus noster est, repudiemus, praesertim cum omne olim studium atque omne ingenium contulerit Archias ad populi Romani gloriam laudemque celebrandam? Nam et Cimbricas res adulescens attigit et ipsi illi C. Mario, qui durior ad haec studia videbatur, iucundus fuit. 20. Neque enim quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiatur. Themistoclem illum summum Athenis virum dixisse aiunt, cum ex eo quaereretur quod acroama aut cuius vocem

libentissime audiret: "eius, a quo sua virtus optime praedicaretur." Itaque ille Marius item eximia L. Plotium dilexit, cuius ingenio putabat ea, quae gesserat, posse celebrari.

21. Mithridaticum vero bellum, magnum atque difficile et in multa varietate terra marique versatum, totum ab hoc expressum est; qui libri non modo L. Lucullum, fortissimum et clarissimum virum; verum etiam populi Romani nomen illustrant. Populus enim Romanus aperuit Lucullo imperante Pontum et regis quondam opibus et ipsa natura et regione vallatum; populi Romani exercitus eodem duce non maxima manu innumerabiles Armeniorum copias fudit; populi Romani laus est urbem amicissimam Cyzicenorū eiusdem consilio ex omni impetu regio atque (e) totius belliore ac faucibus ereptam esse atque servatam. Nostra semper feretur et praedicatur L. Lucullo dimicante cum interfectis duabus depressa hostium classis, et incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis; nostra sunt troeas, nostra monumenta, nostri triumphi.

Quae quorum ingeniis efferuntur, ab iis populi Romani fama celebratur. 22. Carus fuit Africano superiori noster Ennius; itaque etiam in sepulchro Scipionum putatur is esse constitutus ex marmore. Cuius laudibus certe non solum ipse, qui laudatur, sed etiam populi Romani nomen ornatur. In caelum huius proavus Cato tollitur; magnus honos populi Romani rebus adiungitur. Omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fulvii non sine communi omnium nostrum laude decorantur.

X. Ergo illum, qui haec fecerat, Rudinum hominem maiores nostri in civitatem receperunt; nos hunc Haeracliensem multis civitatibus expetitur, in hac autem legibus constitutum, de nostra civitate eiiciemus?

23. Nam si quis minorem gloriae fructum putat ex Graecis versibus percipi quam ex Latinis, vehementer errat, propterea quod Graeca leguntur in omnibus fere gentibus, Latina suis finibus, exiguis sane, continentur. Quare, si res eae, quas gessimus, orbis terrae regionibus definiuntur, cupere debemus, quo manuum nostrarum tela pervenerint, eodem gloriam famamque penetrare, quod cum ipsis populis, de quorum rebus scribitur, haec ampla sunt, tum iis certe, qui de vita gloriae causa dimicant, hoc maximum et periculorum incitamentum est et laborum. 24. Quam multos scriptorum rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur! Atque is tamen cum in Sigeo ad Achillis tumultum astitisset: "O fortunate, inquit, adolescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris!" Et vere: nam, nisi Ilias ille extitisset, idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset. Quid? noster hic Magnus, qui cum virtute fortunam adaequavit, nonne Theophanem Mytilenseum, scriptorem rerum suarum, in contione militum civitate donavit, et nostri illi fortes viri, sed rustici ac milites, dulcedine quadam gloriae commoti, quasi participes eiusdem laudis, magno illud clamore approbaverunt?

25. Itaque, credo, si civis Romanus Archias legibus non esset, ut ab aliquo imperatore civitate donaretur, perficere non potuit! Sulla, cum Hispanos et Gallos donaret, credo hunc potentem repudiasset; quem nos in contione vidimus, cum ei libellum malus poeta de populo subiecisset, quod epigramma in eum fecisset, tantummodo alternis versibus longiusculis, statim ex iis rebus, quas tum vendebat, iubere ei praemium tribui, sed ea condicione ne quid postea scriberet. Qui sedulitatem mali poetae duxerit aliquo tamen praemio dignam, huius inge-

nium et virtutem in scribendo et copiam non expetisset? 26. Quid? a Q.Mettello Pio, familiarissimo suo, qui civitate multos donavit, neque per se neque per Lucullos impetravisset? qui usque eo de suis rebus scribi cuperet, ut etiam Cordubae natis poetis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamen aures suas dederet.

XI. Neque enim est hoc dissimulandum, quod obscurari non potest, sed prae nobis ferendum: trahimur omnes studio laudis, et optimus quisque maxime gloria ducitur. Ipsi illi philosophi etiam illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt; in eo ipso, in quo praedicationem nobilitatemque despiciunt, praedicari de se ac nominari volunt. 27. Decimus quidem Brutus, summus vir et imperator, Acci amicissimi sui carminibus templorum ac monumentorum editus exornavit suorum. Iam vero ille, qui cum Aetolis Ennio comite bellevit, Fulvius non dubitavit Martis manubias Musis consecrare. Quare, in qua urbe imperatores prope armati poetarum nomen et Musarum delubra coluerunt, in ea non debent togati iudices a Musarum honore et a poetarum salute abhorrere.

28. Atque ut id libentius faciat, iam me vobis, iudices, indicabo, et de meo quodam amore gloriae nimis acri fortasse, verumtamen honesto vobis confitebor; nam quas res nos in consulato nostro vobiscum simul pro salute huius urbis atque imperii et pro vita civium proque universa re publica gessimus, attigit hic versibus atque inchoavit. Quibus auditis, quod mihi magna res et iucunde visa est, hunc ad perficiendum adhortatus sum. Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat praeter hanc laudis et gloriae. Qua

quidem detracta iudices, quid est quod in hoc tam exiguo vitae curriculo et tam brevi tantis nos in laboribus exerceamus?

P. VERGILIUS MARO

(70 - 19 f.e.n.)

GEORGICA

LIBER SECUNDUS

- 136 Sed neque Medorum silvae, ditissima terra,
Nec pulcher Ganges atque aure turbidus Hermus
Laudibus Italiae certent, non Bactra, neque Indi
Totaque turiferis Panchais pinguis arenis.
- 140 Haec loca non tauri spirantes naribus ignem
Invertere, satis immanis dentibus hydri,
Nec galeis densisque virum seges horruit hastis:
Sed gravidae fruges et Bacchi Massicus humor
Implevere, tenent oleaeque armentaue laeta.
- 145 Hinc bellator equus campe sese arduus infert;
Hinc albi, Clitannae, greges et maxima taurus
Victima, saepe tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad temple deum duxere triumphos.
Hic ver assiduum atque alienis mensibus aestas,
- 150 Bis gravidae pecudes, bis pomis utilis arbor.
At rabidae tigres absunt et saeva leonum
Semina; nec miseros fallunt aconita legentes;
Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto

Squameus in spicam tractu se colligit anguis.

- 155 Adde tot egregias urbes operumque laborem,
Tot congesta manu praeruptis oppida saxis,
Fluminaque antiquos subterlabentia muros.
An mare, quod supra, memorem, quoique alluit infra?
Anne lacus tantos? te, Lari maxime, teque,
- 160 Fluctibus et fremitu assurgens Benace marino?
An memorem portus Iucrinoque addita claustra,
Atque indignatum magnis stridoribus aequor,
Iulia qua ponto longe sonat unda refuse,
Tyrrenusque fretis immittitur aestus Avernis?
- 165 Haec eadem argenti rivos aërisque metalla
Ostendit venis, atque aure plurima fluxit.
Haec genus acre virum, Marsos pubemque Sabellam,
Adsuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos
Extulit; haec Decios, Marios magnosque Camillos,
- 170 Scipiadas duros bello, et te, maxime Caesar,
Qui nunc extremis Asiae iam victor in oris
Inbellam avertis Romanis arcibus Indum.
Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus,
Magna virum: tibi res antiquae laudis et artis
- 175 Ingredior, sanctos ausus recludere fontes,
Ascraeumque cano Romana per oppida carmen.

AENEIS

LIBER PRIMUS

- Haec ubi dicta, cavum conversa cuspide montem
Impulit in latus, ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt et terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque e sedibus imis
- 85 Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis
Africae, et vastos volvunt ad litora fluctus.
Insequitur clamorque virum stridorque rudentum.
Eripiunt subito nubes coelumque diemque
Teucrorum ex oculis: ponte nox incubat atra;
- 90 Intonuere poli, et crebris micat ignibus aether,
Praesentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Aeneas solvuntur frigore membra;
Ingemit et, duplices tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert: "O terque quaterque beati,
- 95 "Quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis
"Contigit oppetere! O Danaum fertissime gentis,
"Tydide, mene Iliacis occumbere campis
"Non potuisse, tuaque animam hanc effundere dextra;
"Saevus ubi Aecidae telo iacet Hector, ubi ingens
- 100 "Sarpedon, ubi tot Simois correpta sub undis
"Scuta virum galeasque et fortia corpora volvit?"
Talia iactanti stridens Aquilone procella
Velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit.
Franguntur remi; tum proram avertit et undis
- 105 Dat latus, insequitur cumulo praeruptus aquae mons.

- Hi summe in fluctu pendent, his unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit, furit aestus arenis.
Tres Notus abreptas in saxa latentis torquet
Saxa vocent Itali, mediis quae in fluctibus, Aras.
110 Dorsum immane mari summo; tres Furus ab alto
In brevis et Syrtes urget - miserabile visu -,
Illiditque vadis atque aggere cingit arenae.
Unam, quae Lycios fidumque vehebat Orentem,
Ipsius ante oculos ingens a vertice pontus
115 In puppim ferit; excutitur pronusque magister
Volvitur in caput, est illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum et rapidus vorat, aequore vertex;
Apparent rari nantes in gurgite vasto,
Arma virum tabulaeque et Troia gaza per undas.
120 Iam validam Ilionei navem, iam fortis Achatae,
Et qua vectus Abas, et qua grandaevus Aletes,
Vicit hiems; laeis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt.
Interea magne misceri murmure pontum,
125 Emissamque hiemem sensit, Neptunus et imis
Stagna refusa vadis, graviter commetus; et alto
Prospiciens, summa placidum caput extulit unda.
Disiectam Aeneae toto videt aequore classem,
Fluctibus oppressos Troas coelique ruina;
130 Nec latuere doli fratrem Iunonis et irae.
Furum ad se Zephyrumque vocat, dehinc cunctalia fatur;
"Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
"Iam coelum terramque meo sine numine, Venti,

- "Miscere et tantas audetis tollere moles?
135 "Quos ego ...! Sed motos praestat componere fluctus;
"Post mihi non simili poena commissa luetis.
"Maturate fugam, regique haec dicite vestro,
"Non illi imperium pelagi saevumque tridentem,
"Sed mihi sorte datum. Tenet ille immania saxa,
140 "Vestras, Eury, domos: illa se iactet in aula
"Aeolus, et clauso ventorum carcere regnet."

LIBER SECUNDUS

- 40 Primus ibi ante omnes, magna comitante caterva,
Laocoon ardens summa decurrit ab arce,
Et procul: "O miseri, quae tanta insania, cives?
"Creditis auctores hostes, aut ulla putatis
"Dona carere dolis Danaum? sic notus Ulixes?
45 " Aut haec inclusi ligno occultantur Achivi,
"Aut haec in nostros fabricata est machina muros,
"Inspectura domos venturaque desuper urbi,
"Aut aliquis latet error. Equo ne credite, Teucri.
"Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentes."
50 Sic fatus, validis ingentem viribus hastam
In latus inque feri curvam compagibus alvum
Contorsit. Stetit illa tremens, uteroque recusse
Insonuere caevae gemitumque dedere cavernae;
Et, si fata deum, si mens non laeva fuisset,
55 Impulerat ferro Argolicas foedare latebras,
Troisque nunc steres Priamique arx alta maneres!

- Hic aliud maius miseris multoque tremendum
200 Obicitur magis, atque improvida pectora turbat.
Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,
Solemnes taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta -
Horresco referens v̄ immensis orbibus angues
205 Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus arrepta iubaeque
Sanguineae superant undas, pars cetera pontum
Pone legit sinuatque immensa volumine terga
Fit sonitus spumante salo. Iamque arva tenebant,
210 Ardentesque oculos suffecti sanguine et igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
Diffugimus visu exsanguis. Illi agmine certo
Laecoonta petunt, et primum parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
215 Implicat, et miseros morsu depascitur artus;
Post ipsum auxilio subeuntem ac tela ferentem
Corripiunt, spirisque ligant ingentibus, et iam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati, superant capite et cervicibus altis.
220 Ille simul manibus tendit divellere nodos,
Perfusus sanie atroque veneno,
Clamores simul horrendos ad sidera tollit:
Quales mugitus, fugit quum saucius aram
Taurus et incertam excussit cervice securim.
225 At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, aevaeque petunt Tritonidis, arcem,
Sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur.

LIBER QUARTUS

- At regine gravi iam dudum saucia cura
Vulnus alit venis, et caeco carpitur igni.
Multa viri virtus animo, multusque recursat
Gentis honos; haerent infixi pectore vultus
5 Verbaque nec placidam membris dat cura quietem
Postera Phoebes lustrabat lampade terras
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram,
Quum sic unanimum alloquitur male sana sororem:
"Anna soror, quae me suspensam insomnia terrent?
10 "Quis novus hic nostris successit sedibus hospes?
"Quem sese ore ferens:quem forti pectore et armis;
" Credo equidem, nec vana fides, genus esse decorum;
"Degeneres animos timor arguit. Heu, quibus ille
"Iactatus fatis ! quae bella exhausta canebat!
15 "Si mihi non animo fixum immotumque sederet,
"Ne cui me vinclo vellem sociare iugali,
"Postquam primus emer deceptam morte fefellit,
"Si non pertaesum thalami taedaeque fuisset:
"Huic usi forsan potui succumbere culpae.
20 "Anna-fatebor enim-, miseri post fata Sychaei
"Coniugis et sparsos fraterna caede Penates
"Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
"Impulit: agnosco veteris vestigia flammae.
"Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
25 "Vel pater omnipotens adiget me fulmine ad umbras,
"Pallentes umbras Erebi noctemque profundam,
"Ante, Pudor, quam te violo aut tua iura resolvo.

"Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores
"Abstulit: ille habeat secum servetque sepulcro."

30 Sic effata, sinum lacrimis implevit obortis.

Anna refert: "O luce magis dilecta sorori,

"Solane perpetua maerens carpere iuventa,

"Nec dulces natos, Veneris praemia noris?

"Id cinerem aut Manes credis curare sepultos?

35 "Esto: segram nulli quondam flexere mariti,

"Non Libyae, non ante Tyro; despectus Iarbas

"Ductoresque alii, quos Africa terra triumphis

"Dives alit: placitone etiam pugnabis amoris?

"Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?

40 "Hinc Gaetulae urbes, genus insuperabile bello,

"Et Numidae infreni cingunt et inhospita Syrtis;

"Hinc deserta siti regio, lateque furentes

"Barcae. Quid bella Tyro surgentis dicam,

"Germanique minas?

45 "Dis equidem auspiciis reor et Iunone secunda

"Hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.

"Quam tu urbem, soror, hanc cernes, quae surgere regna

"Coniugio tali: Teucrum comitantibus armis,

"Punica se quantis attellet gloria rebus;

50 "Tu modo posce deos veniam, sacrisque litatis

"Indulge hospitio, causasque innecte morandi,

"Dum pelago desaevit hiems et aquosus Orion,

"Quassataeque rates, dum non tractabile coelum."

His dictis incensum animum inflammavit amore,

55 Spemque dedit dubiae menti, solvitque pudorem.

Principio delubra adeunt, pacemque per aras

- Exquirunt; mactant lectas de more bidentes
Legiferae Cereri Phoeboque patrique Iyaeo,
Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curae.
- 60 Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccae medis inter cornua fundit,
Aut ante ora deum pingues spatiatur ad aras,
Instauratque diem donis, pecudumque reclusis
Pectoribus inhiens spirantia consulit exta.
- 65 Heu vatum ignerae mentes! quid vota furentem,
Quid delubra iuvent? est mollis flamma medullas
Interea, et tacitum vivit sub pectore vulnus.
Uritur infelix Dido totaque vagatur
Urbe furens, quaevis coniecta cerva sagitta,
- 70 Quam procul incauta memora inter Oresia fixit
Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum
Nescius; illa fuga silvas saltusque peragrat
Diotaeos, haeret lateri letalis arundo.
Nunc, media Aenean secum per moenia ducit,
- 75 Sidoniasque ostentat opes urbemque paratam,
Incipit effari mediaque in voce resistit;
Nunc eadem labente die convivis quaerit,
Iliacosque iterum demens audire labores
Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore.
- 80 Post, ubi digressi, lumenque obscura vicissim
Luna premit susdentque cadentia sidera somnos,
Sola domo maeret vacua, stratisque relictis
Incubat. Illum absens absentem auditque videtque;
Aut gremio Ascenium, genitoris imagine capta,

85 Detinet, infandum si fallere possit amorem.
Non coeptae assurgunt turres, non arma iuventus
Exercet, portusve aut propugnaculo bello
Tuta parant; pendent opera interrupta minaeque
90 Murorum ingentes aequataque machina coelo.

Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, silvaeque et saeva quierant
Aequora, quum medio volvuntur sidera lapsu,
525 Quum tacet omnis ager; pecudes pictaeque volucres,
Quaeque lacus late liquidos, quaeque aspera dumis
Rura tenent, somne positae sub nocte silenti,
(Lenibant curas et corda oblita laborum).
At non infelix animi Phoenissa, nec umquam
530 Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem
Accipit: ingeminant curae, rursusque resurgens
Saevit amor magnoque irarum fluctuat aestu.

LIBER SEXTUS

Ibant obscuri sola sub nocte per umbram,
Perque domos Ditis vacuas et inania regna;
270 Quale per incertam lunem sub luce maligna
Est iter in silvis, ubi coelum condidit umbra
Iupiter, et rebus nox abstulit atra colorem.
Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus et ultrices posuere cubilia Curae,
275 Pallentesque habitant Morbi tristisque Senectus,

- Et Metus et malesuada Fames ac turpis Egestas,
Terribiles visu formae, Letumque Labosque;
Tum consanguineus Leti Sopor, et male mentis
Gaudia, mortiferumque adverso in limine Bellum,
280 Terreique Eumenidum thalami, et Discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
In medio ramos annosaque brachia pandit
Ulmis opaca, ingens, quam sedem Somnia vulgo
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus haerent.
285 Multaque praeterea variarum monstra ferarum,
Centauri, in foribus stabulant, Scyllaeque bifformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellus Lernae
Horrendum stridens, flammisque armata Chimera,
Gorgones Harpyiaeque et forma tricorporis umbrae,
290 Corripit hic subita trepidus formidine ferrum
Aeneas, strictamque aciem venientibus offert;
Et, ni docta comes tenues sine corpore vitas
Admoest volitare cave sub imagine formae,
Irruat et frustra ferro diverberet umbras.
295 Hinc via Tartarei quae fert Acherentis ad undas.
Turbidus hic coeno vastaque veragine gurgis
Aestuat atque omnem Coccyto eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas et flumine servat
Terribili squalore Charon, cui plurima mento
300 Canities inculta iacet, stant lumina flamma,
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus;
Ipse ratem conto subigit velisque ministrat,
Et ferruginea subvectat corpora cymba,

Iam senior, sed cruda deo virisdisque senectus.

- 305 Huo omnis turba ad ripas effusa ruebat,
Matres atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae,
Impositique rogis iuvenes ante ora parentum:
Quam multa in silvis autumni frigore prime
310 Lapsa cadunt folia aut ad terrams gurgite ab alto
Quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat et terris immittit apricis,
Stabant erantes primi transmittere cursum,
Tendebantque manus ripae ulterioris amore;
Navita sed tristis nunc hos, nunc accipit illos,
Ast alios longe submotos arcet arena.

- 450 Inter quas Phoenissa recen: a vulnere Dide
Errabat silva in magna: quam Troius heros
Ut primum iuxta stetit agnovitque per umbram
Obscuram qualem prime qui surgere mense
Aut videt aut vidisse putat per nubila lunam;
455 Demisit lacrimas, dulcique affatus amore est:
"Infelix Dide, verus mihi nuntius ergo
"Venerat exstinctam ferroque extrema secutam?
"Funeris heu tibi causa fui? Per sidera iuro,
"Per superos, et si qua fides tellure sub ima est.
460 "Invitus, regina, tuo de litore cessi:
"Sed me iussa deum, quae nunc has ire per umbras,
"Per loca senta situ cogunt noctemque profundam,
"Imperiis egere suis, nec credere quivi

"Hunc tantum tibi se discessu ferre dolorem.

465 "Siste gradum, teque adspectu ne subtraha nostro.

"Quem fugis? extremum, fato quod te alloquor, hoc est".

Talibus Aeneas ardentem et terro tuentem

Lenibat dictis animum, lacrimasque ciebat;

Ille solo fixos oculos averse tenebat,

470 Nec magis incepto vultum sermone movetur,

Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.

Tandem corripuit sese, atque inimica refugit

In nemus umbriferum, coniuu ubi pristinus illi

Respondet curis sequatque Sychaeus amorem.

475 Nec minus Aeneas, casu percussus iniquo,

Prosequitur lacrimans longe et miseratur euntem.

Q. HORATIUS FLACCUS

(65 - 8 f.e.n.)

CARMINA

LIBER PRIMUS

III

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae, lucida sidera,
Ventorumque regat pater
Obstrictis aliis praeter Iapyga,
Navis, quae tibi creditum
Debes Vergilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serves animae dimidium mese.

10 Illi robur et aes triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit praecipitem Africum
Decertantem Aquilonibus
Nec tristes Hyadas nec rabiem Noti,
15 Quo non arbiter Hadriae
Maior, tollere seu ponere volt freta.
Quem mortis timuit gradum,

Qui siccis oculis monstra natantia,
 Qui vidit mare turbidum et
20 Infames scopulos Acroceraunia?
 Nequicquam deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
 Terras, si tamen impiae
Non tangenda rates transiliunt vada.
 Audax omnia perpeti
Gens humans ruit per vetitum nefas;
 Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit;
 Post ignem aethera domo
Subductum macies et nova februm
 Terris incubuit cohors
Semotique prius tarda necessitas
 Leti corripuit gradum.
Expertus vacuum Daedalus aera
35 Pennis non homini datis;
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
 Nil mortalibus ardui est;
Caelum ipsum petimus stultitia neque
 Per nostrum patimur scelus
40 Iracunda Iovem ponere fulmina.

IV

Solvitur aeris hiems grata vice veris et Favoni
 Trahuntque siccas machinae carinas.

Ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni
Neo prata canis albicant pruinis.

5 Iam Cytheraea choros ducit Venus imminente luna
Iunctaeque Nymphis Gratiae decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
Volcanus ardens urit officinas.

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto
Aut flore, terrae quem ferunt solutae;

10 Nunc et in umbrosis Fauno decet inmolare lucis,
Seu poscat agnas sive malit haedo,
Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres. O beate Sesti,

15 Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.
Iam te premet nox fabulaeque Manes
Et domus exilis Plutonia, quo simul nearis,
Nec regna vini sortiēre talis ...

IX

Vides ut alta stet nive candidum
Soracte, nec iam sustinent onus
Silvae laborantes geluque
Flumina constiterint acuto.

5 Dissolve frigus ligna super foco
Large reponens atque benignius
Deprome quadrimum Sabina,
O Thaliarche, merum diota.

Permitte divis cetera; qui simul
Stravere ventos aequore fervido
10 Deproceliantes, nec cupressi
Nec veteres agitantur orni.

Quid sit futurum cras, fuge quaerere et
Quem fors dierum cumque dabit lucro
15 Appone nec dulces amores
Sperne puer neque tu choreas,

Donec virenti canities abest
Morosa. Nunc et campus et areae
 Lenesque sub noctem susurri
20 Composita repetantur hora;

Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellae risus ab angulo
 Pignusque dereptum lacertis
Aut digito male pertinaci

LIBER TERTIUS

XIII

O fons Bandusiae, splendidior vitro,
Dulci digne mero non sine floribus,
 Cras donaberis haedo,
Cui frons turgida cornibus

5 Primis et venerem et proelia destinat.
Frustra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine rivos
Lascivi suboles gregis.

Te flagrantis atrox hora Caniculæ
10 Nescit tangere; tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Praebes et pecori vago.

Fies nobilium tu queque fontium,
Me dicente cavis impositam illicem
15 Saxis, unde loquaces
Lymphae desiliunt tuae.

XXX

Exegi monumentum aere perennius
Regalique situ pyramidum altius
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere aut innumerabilis
5 Annorum series et fuga temporum.
Non omnis moriar multa que pars mei
Vitebit Libitinam; usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine pontifex.
10 Dicar, qua violens obstrepit Aufidus
Et que pauper aquae Daunus agrestium
Regnavit populorum ex humili potens,

Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. Sume superbiam
15 Quaesitam meritis et mihi Delphica
Laure cinge volens, Melpomene, comam.

SATIRAE

LIBER PRIMUS

IX

Ibam forte via sacra, sicut meus est mos
Nescio quid meditans nugarum, totus in illis.
Accurrit quidam notus mihi nomine tantum
Arreptaque manu: "Quid agis, dulcissime rerum? -
5 Saaviter, ut nunc est, inquam, et cupio omnia, quae vis"
Cum adsectaretur: "Numquid vis?" occupo. At ille:
"Moris nos, inquit, docti sumus." Hic ego: "Pluris
Hec, inquam, mihi eris." Misere discedere quaerens,
Ire modo ocius, interdum consistere, in aures
10 Dicere nescio quid puero, cum sudor ad imos
Manaret tales: "O te, Bolane, cerebri
Felicem", siebam tacitus, cum quidlibet ille
Garriret, vicos, urbem laudaret. Ut illi
Nil respondebam: "Misere cupis, inquit, abire;
15 Iamdudum video, sed nil agis; usque tenebo,
Persequar. Hinc quo nunc iter est tibi? - Nil opus est te
Circumagi: quemdam volo visere non tibi notum;
Trans Tiberim longe cubat is prope Caesaris hortos. -
Nil habeo quod agam et non sum piger; usque sequar te".

20 Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus,
Cum gravius dorso subiit onus. Incipit ille:

"Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies; nam quis me scribere plures
Aut citius possit versus? quis membra movere
25 Mollius? invidet quod et Hermogenes ego canto."
Interpellandi locus hic erat: "Est tibi mater,
Cognati, quis te salvo est opus?" - Haud mihi quisquam.
Omnes composui. - Felices, nunc ego resto.

Confice! namque instat fatum mihi triste, Sabella
30 Quod puere cecinit divina mota anus urna:
Hunc neque dira venena nec hosticus auferet ensis
Nec laterum dolor aut tussis nec tarda podagra;
Garrulus hunc quando consumet eumque; loquaces,
Si sapiat, vitet simul atque adoleverit aetas."

35 Ventum erat ad Vestae, quarta iam parte diei
Praeterita, et casu tunc respondere vadato
Debebat, quod ni fecisset, perdere litem.

"Si me amas, inquit, paullum hic ades. - Interem, si
Aut valeo stare aut novi civilis iura,
Et propero quo scias. - Dubius sum quid faciam, inquit,
Tene relinquam an rem. - Me, sodes - "Non faciam" ille,
Et praecedere coepit; ego, ut contendere durum
Cum victore, sequor. "Maecenas quemode tecum?"

45 Hinc repetit: "paucorum hominum et mentis bene sanae
Magnum adiutorem, posset qui ferre secundas,
Hunc hominem velles si tradere; dispeream, ni
Submosses omnes. - Non isto vivimus illic

Que tu rere modo; domus hac nec purior ulla est
50 Nec magis his aliena malis; nil mi efficit, inquam, qui
Ditior hic aut est quis doctior; est locus uni
Quique suus - Magnum narras, vix credibile - Atqui
Sic habet.- Accendis quare cupiam magis illi
55 Proximus esse - Velis tantummodo; quae tua virtus,
Expugnabis, et est qui vinci possit eoque
Difficiles aditus primos habet.- Haud mihi dero:
Muneribus servos corrumpam; non, hodie si
Exclusus fuere, desistam; tempora quaeram,
Occurram in triviis, deducam. Nil sine magno
60 Vita labore dedit mortalibus." Haec dum egit, ecce
Fuscus Aristius occurrit, mihi carus, et illum
Qui pulchre nosset. Consistimus. " Unde venis et
Que tendis?" rogat et respondet. Vellere coepi
Et prensare manu lentissima brachia, nutans,
65 Distorquens oculos, ut me eriperet. Male salsus
Ridens dissimulare, meum iecur urere bilis.

"Certe nescio quid secreto velle loqui te
Aiebas mecum.- Memini bene, sed meliore
Tempore dicam; hodie tricesima sabbata; vin tu
70 Curtis Iudaeis oppedere? - Nulla nihi, inquam,
Religie est.- At mi; sum paulle infirmior, unus
Multorum; ignosces, alias, loquar". Huncine solem
Tam nigrum surrexe mihi! fugit improbus ac me
Sub cultro linquit. Casu venit obvius illi
75 Adversarius et: "Que tu, turpissime?" magna
Inclamat voce, et: " Licet antestari?"; ego vero

Oppono auriculam; rapit in ius; clamor utrimque,
Undique concursus. Sic me servavit Apollo.

ARS POETICA

UTIL SI FRUMOS

Aut prodesse volunt aut delectare poetae
Aut simul et iucunda et idonea dicere vitae.
335 Quidquid praecipies, esto brevis, ut cite dicta
Percipiant animi dociles teneantque fideles.
Omne supervacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis causa sint proxima veris.
Ne quodcumque volet poscat sibi fabula credi
340 Neu pransae Lemiae vivum puerum extrahat alve.
Centuriae seniorum agitant expertia frugis,
Celsi praetereunt austersa poemata Ramnes;
Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando pariterque monendo;
345 Hic meret aera liber Sesiis, hic et mare transit
Et longum noto scriptori prerogat aevum.

TALENT SI MESTESUG

O maior iuvenum, quemvis et voce paterna
Fingeris ad rectum et per te sapiis, hoc tibi dictum
Tolle memor, certis medium et tolerabile rebus
Recte concedi; consultus iuris et actor

- 370 Causarum mediocri abest virtute disert
Messallae nec scit quantum Cascellius Aulus,
Sed tamen in pretio est; mediocribum esse poetis
Non homines, non di, non concessere columnae.
Ut grates inter mensas symphonia discors
- 375 Et crassum unguentum et Sardo cum melle papaver
Offendunt, poterat duci quis cena sine istis:
Sic animis natum inventumque poema iuvendis,
Si paullum summo decessit, vergit ad imum.
Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
- 380 Indoctusque pilae discive trechive quiescit,
Ne spissae risum tollant impune coronae:
Qui nescit versus tamen audet fingere? quidni?
Liber et ingenuus, prasertim census equestrem
Summam numerorum vitioque remotus ab omni.
- 385 Tu nihil invita dices faciesve Minerva.
- Natura fieret laudabile carmen an arte,
Quaesitum est; ego nec studium sine divite vena
Nec rude quid prosit video ingenium; alterius sic
- 410 Altera poscit opem res et coniurat amice
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer sudavit et elisit,
Abstinet Venere et vino; qui Pythia cantat
- 415 Tibicen, didicit prius extimuitque magistrum
Nunc satis est dixisse: "Ego mira poemata pango;
Occupet extremum scabies; mihi turpe relinqui est,
Et quod non didici sane nescire fateri".

C. I U L I U S P H A E D R U S

(sec.I. e.n.)

FABULAE AESOPICAE

LIBER PRIMUS

I

Lupus et Agnus

Ad rivum eundem Lupus et Agnus venerant,
Siti compulsi: superior stabat Lupus,
Longeque inferior Agnus. Tunc fauce improba
Latro incitatus, iurgii causam intulit:

5 "Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi
Aquam bibenti? "Laniger contra timens:
"Qui possum, quaeso, facere quod quereris, Lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor."

Repulsus ille veritatis viribus:

10 "Ante hos sex menses male, sit, dixisti mihi".

Respondit Agnus: "Equidem natus non eram."

- "Pater, hercule! tuus, inquit, maledixit mihi".

Atque ita correptum lacerat iniusta nece.

Haec propter illos scripta est homines fabula
Qui fictis causis innocentes opprimunt.

VI

Ranae ad Solem

Vicini furis celebres vidit nuptias
Aesopus, et continuo narrare incipit:

Uxorem quondam Sol quum vellet ducere,
Clamorem Ranae sustulere ad sidera.
Convicio permotus quaerit Iuppiter
Causam querelae. Quaedam tum stagni incela:
"Nunc, inquit, omnes unus exurit locus,
Cogitque miseris arida sede emori;
Quidnam futurum est, si crearit liberos!"

XV

Asinus ad senem Pastorem

In principatu commutando civium
Nil, praeter domini nomen, mutant pauperes.
Id esse verum, parva haec fabella indicat.
Asellum in prato timidus pascebat Senex;
5 Is, hostium clamore subite territus,
Suadebat Asino fugere, ne possent capi.
At ille lentus: "Quaeso, num binas mihi
Clitellas impositurum victorem putas?"
Senex negavit: "Ergo quid refert mea
10 Cui serviam, clitellas dum portem meas?"

XXV

Vulpes et Ciconia

Nulli nocendum; si quis vero laeserit,
Mulctandum simili iure fabula admonet.

Vulpes ad coenam dicitur Ciconiam
Prior invitasse, et illi in patina liquidam

5 Posuisse sorbitionem, quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit Ciconia.

Quae Vupem quum revocasset, intrito cibo
Plenam lagenam posuit: huic rostrum inserens
Satiatur ipsa, et torquet convivam fame.

10 Quae quum lagenae collum frustra lamberet,
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus;
"Sua quisque exempla debet aequo animo pati".

XXVIII

Vulpes et Aquila

Quamvis sublimes, debent humiles metuere,
Vindicta docili quia patet solertiae.

Vulpinos catulos Aquila quondam sustulit
Nidoque posuit pullis, escam ut carperent.

5 Hanc persecuta mater orare incipit,
Ne tantum miserae luctum importaret sibi.

Contempsit illa tuta quippe ipso loco.

Vulpes ab ars repuit ardentem facem,

Totamque flammis arborem circumdedit,

Hostis dolorem damna miscens sanguinis.

- 10 Aquila, ut periculo mortis eriperet suos,
Incolumes natos supplex Vulpi reddidit.

EPILOGUS

- Aesopi ingenio statuum posuere Attici,
Servumque collacarunt aeterna in basi
Patere honoris scirent ut cunctis viam,
Nec generi tribui, sed virtuti, gloriam.
- 5 Quoniam occuparat alter ne primus forem,
Ne solus esset studui, quod superfuit
Nec haec invidia, verum est aemulatio
Quod si labori favorit Latium meo,
Plures habebit, quos opponat Graeciae.
- 10 Sin liver obtrectare curam voluerit,
Non tamen eripiet laudis conscientiam.
Si nostrum studium ad aures pervenit tuas,
Et arte fictas animus sentit fabulas,
Omnes querelas submovet felicitas:
- 15 Sin autem et illis doctus occurrit labor,
Sinistra quos in lucem natura extulit,
Nec quidquam possunt, nisi meliores carpere,
Fatale exitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat sui.

LIBER TERTIUS

PROLOGUS

Nunc, fabularum cur sit inventum genus,
Brevi docebo. Servitus obnoxia,
Quis quae volebat non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictis elusit iocis.
Ego illius pro semita feci viam,
Et cogitavi plura quam reliquerat,
40 In calamitatem deligens quaedam meam.
Quod si accusator alius Seieno foret,
Si testis alius, iudex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis
Nec his dolorem delenirem remediis.
45 Suscipione si quis errabit sua,
Et rapiet ad se quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conscientiam.
Huic excusatum me velim nihilominus;
Neque enim notare singulos mens est mihi,
50 Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere.
Rem me professum dicet fors aliquis gravem.

LIBER QUARTUS

Vulpes et Hircus

Homo in periculum simul ac venit callidus,
Reperire effugium quaerit alterius malo.

Quum decidisset Vulpes in puteum inscia,
Et altiore clauderetur margine,
Devenit Hircus sitiens in eundem locum;
Simul rogavit, esset an dulcis liquor
Et copiosus. Illa, fraudem moliens:
"Descendere, amice: tanta bonitas est aquae,
Ut non voluptas satiari possit mea.
Immisit se Barbatus. Tum Vulpecula
Evasit puteo, nixa celsis cornibus
Hircumque claudo liquit haerentem cado.

L. ANNAEUS SENECA

(cca.5 f.e.n. - 65 e.n.)

EPISTULAE AD LUCILIUM

LIBER PRIMUS

II

1. Ex iis quae mihi scribis et ex iis quae audio, bonam spem de te concipio: non discurreis nec locorum mutationibus inquietaris. Aegri animi ista iactatio est. Primum argumentum compositate mentis existimo posse consistere et secum morari.

2. Illud autem vide, ne ista lectio auctorum multorum et omnis generis voluminum habeat aliquid vagum et instabile: certis ingenis immorari et innutriri oportet si vis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubique est. Vitam in peregrinatione exigentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias: idem accidat necesse est iis qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim et properantes transmittunt.

3. Non prodest cibus nec corporis accedit, qui statim sumptus emittitur; nihil aeque sanitatem impedit quam remediorum crebra mutatio; non venit vulnus ad cicatricem in quo medicamenta tentantur; non convalescit planta quae saepe transfertur: nihil tam utile est, ut in transitu prosit. Distinguit librorum multitudo: itaque cum legere non possis quantum habueris, satis est habere quantum legas.

4. "Sed modo", inquis, "hunc librum evolvere volo, modo illum". Fastidientis stomachi est multa degustare, quae ubi varia sunt et diversa, inquinant, non alunt. Probatos itaque semper lege, et si quando ad alios diverti libuerit, ad priores redi. Aliquid quotidie adversus paupertatem, aliquid adversus mortem auxilium compara, nec minus adversus ceteras pestes; et cum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die concoques. 5. Hoc ipse quoque facies: ex pluribus quae legi aliquid apprehendo. Hodiernum hoc est, quod apud Epicurum nactus sum (soleo enim et in aliena castra transire, non tamquam transfuga, sed tamquam explorator): "Honestas", inquit, "res est laeta paupertas". 6. Illa vero non est paupertas, si laeta est: cui cum paupertate bene convenit, dives est; non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Quid enim refert quantum illi in arca, quantum in horreis iaceat, quantum pascat aut faeneret, si alieno imminet, si non acquisita, sed acquirenda computat? Quis sit divitiarum modus quaeris? Primus, habere quod necesse est; proximus, quod sat est. Vale.

LIBER QUINTUS

VI (XLVII)

1. Libenter ex his, qui a te veniunt, cognovi familiariter te cum servis tuis vivere. Hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. "Servi sunt". Immo homines. "Servi sunt". Immo contubernales. "Servi sunt". Immo humiles amici. "Servi sunt" Immo conservi, si cogitaveris tantundem in utrosque licere fortunae. 2. Itaque rideo istos, qui turpe existimat cum servo

suo cenare. Quere? nisi quia superbissima consuetudo cenanti domino stantium servorum turbam circumdedit. Est ille plus quam capit ... At infelicibus servis movere labra ne in hoc quidem, ut loquantur, licet; virga murmur omne compescitur et ne fortuito quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternumenta, singultus; magno malo ulla voce interpellatum silentium luitur: nocte tota ieiuni mutique perstant ... 6. Vis tu cogitare istum, quem servum tuum vocas, ex iisdem seminibus ortum, eodem frui caelo, aequae spirare, aequae vivere, aequae mori? Tam tu illum videre ingenuum potes quam ille te servum. Varians clade multos splendidissime natos, senatorium per militiam auspicientes gradum, fortuna depressit: alium ex illis pastorem, alium custodem casae fecit. Contemne nunc eius fortunae hominem, in quem transire, dum contemnis, potes! 7. Nolo in ingentem me locum immittere et de usu servorum disputare, in quos superbissimi, crudelissimi, contumeliosissimi sumus. Haec tamen praeepti mei summa est; sic cum inferiore vivas, quem admodum tecum superiorem velis vivere ... 8. Vive cum servo clementer, comiter quoque: et in sermonem illum admitte et in consilium et in convictum. Hoc loco acclamabit mihi tota manus delicetorum: "Nihil hac re humilium, nihil turpius". Hos ego eosdem deprehendam alienorum servorum osculantes manum. Ne illud quidem videtis, quam omnem invidiam maiores nostri dominis, omnem contumeliam servis detraxerint? Dominum "patrem familiae" appellaverunt, servos, quod etiam in minimis adhuc durat, "familiares"... 10. Non est, mi Lucili, quod amicum tantum in foro et in curia quaeras: si diligenter attenderis, et domi invenies. Saepe bona materia cessat sine artifice:

tenta et experiere. Quemadmodum stultus est, qui equum empturus non ipsum equum inspicit, sed stratum eius ac frenos, sic stultissimus est, qui hominem aut ex veste aut ex conditione, quae vestis modo nobis circumdata est, aestimat. 11. "Servus est". Sed fortasse libero animo. "Servus est". Hoc illi nocebit? ostende, quis non sit: alius libidini servit, alius avaritiae, alius ambitioni, omnes timori. Dabo consularem aniculae servientem, dabo ancillulae divitem: nulla servitus turpior est quam voluntaria. Quare non est quod fastidiosi isti te deterreant, quo minus servis tuis hilarem te praestes et non superbe superiorem: colant potius te quam timeant. 12. Dicet aliquis nunc me vocare ad pileum servos et dominos de fastigio suo delicere, quod dixi: "Colant potius dominum quam timeant". "Ita", inquit, "prorsus colant tamque clientes, tamquam salutatores?" Hoc qui dixerit, obliviscetur id dominis parum non esse, quod deo sat est. Qui colitur, et amatur: non potest amor cum timore misceri. 13. Rectissime ergo facere te iudico, quod timeri a servis tuis non vis, quod verborum castigatione uteris: verberibus muta admonentur. Non quicquid nos offendit, et laedit; sed ad rabiem nos cogunt pervenire deliciae, ut quicquid non ex voluntate respondet, iram evocet. Regum nobis induimus animos: nam illi quoque obliti et suarum virium et imbecillitatis alienae sic exardescunt, sic saeviunt, quasi iniuriam acceperint: a cuius rei periculo illos fortunae suae magnitudo tutissimos praestat. Nec hoc ignorant, sed occasionem nocendi captant querendo: acceperunt iniuriam ut facerent. 14. Diutius te morari nolo; non est enim tibi exhortatione opus. Hoc habent inter cetera boni mores: placent sibi, per-

manent; levis est malitia, saepe mutatur, non in melius, sed in aliud. Vale.

TROADES

ULIXES, ANDROMACHA, ASTYANAX

ULI. Matris quidem me maeror attonitae movet,
magis Pelasgae me tamen matres movent,
quarum iste magnos crescit in luctus puer.

740 AND. Has, has ruinas urbis in cinerem datae
hic excitabit ? Hae manus Troiam erigent?
Nullas habet spes Troia, si tales habet.
Non sic iacemus, Troes, ut cuiquam metus
possimus esse. Spiritus genitor facit?
Sed nempe tractus. Ipse post Troiam pater
745 posuisset animos, magna quos frangunt mala
Si poena petitur (quae peti gravior potest?)
famulare collo nobili subest iugum,
servire liceat. Aliquis hoc regi negat?

ULI. Non hoc Ulixes sed negat Calchas tibi.

750 AND. O machinator fraudis et scelerum artifex,
virtute cuius bellica nemo occidit,
dolis et astu maleficae mentis iacent
etiam Pelasgi, vatem et insontes deos
praetendis? Hoc est pectoris facinus tui.
755 Nocturne miles, fortis in pueri necem,
iam solus audes aliquid et claro die.

ULI. Virtus Ulixis Danaidis nota est satis
nimisque Phrygibus. Non vacat vanis diem
conterere verbis: ancoras classis legit.

760 AND. Brevem moram largire, dum officium parens
nato supremum reddo et amplexu ultimo
avidos dolores satio.

ULI. Misereri tui
utinam liceret! Quod tamen solum licet,
tempus moramque dabimus. Arbitrio tuo
765 implere lacrimis: flētus aerumnas levat:

AND. O dulce pignus, et decus lapsae domus
summumque Troiae funus, o Danaum timor,
genetricis o spes vana, cui demens ego
laudes parentis bellicas, annos avi
770 medios precabar, vota destituit deus.
Iliaca non tu sceptrā regali potens
gestabis aula, iura nec populis dabis
victasque gentes sub tuum mittes iugum,
non Graia caedes terga, non Pyrrhum trahes.

775 Non arma tenera patria tractabis manu
sparsasque passim saltibus latis feras
audax sequeris nec stato lustrī die,
solemne referens Troici lusus sacrum,
puer citatas nobilis turmas ages;

780 non inter aras mobili velox pede,
reboante flexo concitos cornu modos,
barbarica prisco templa saltatu coles.

O Marte diro tristius leti genus.

Flebilius aliquid Hectoris magni nece
muri videbunt.

785 ULI. Rumpe iam fletus, parens;
magnus sibi ipse non facit finem dolor.

AND. Lacrimis, Ulixē, parva quem petimus mora est;
concede parvos ut mea condam manu
viventis oculos. Occidis parvus quidem,
790 sed iam timendus. Troia te expectat tua.
I, vade, liber, liberos Troas vide.

AST. Miserere, mater.

AND. Quid meos retines sinus
manusque matris cassa praesidia occupas,
fremitu leonis qualis audito tener
795 timidum iuvenous applicat matri latus;
at ille saevus matre sumpta leo
praedam minorem morsibus vastis premens
frangit vehitque: talis e nostro sinu
te rapiet hostis. Oscula et fletus, puer,
800 lacerosque crines excipe et plenus mei
occurrere patri; pauca maternae tamen
perfer querelae verba: "Si manes habent
curas priores nec perit flammis amor,
servire Graio pateris Andromachen viro,
805 crudelis Hector? Lentus et segnis iaces?
Redit Achilles. "Sume nunc iterum comes
et sume lacrimas, quicquid e misero viri
funere relictum est; sume quae reddas tuo

810 oscula parenti. Matris hanc solacio
relinque vestem; tumulus hanc tetigit meus
manesque cari. Si quid hic cineris latet
scrutabor ore.

C. PETRONIUS ARBITER

(? - 66 e.n.)

SATIRICON

XXVIII. Itaque intravimus balneum, et sudore calfacti momento temporis ad frigidam eximus. Iam Trimalchio unguento perfusus tergebatur, non linteis, sed palliis ex lana mollissima factis. Tres interim iatraliptae in conspectu eius Falernum potabant: et cum plurimum rixantes effunderent Trimalchio hoc suum propinasse dicebat. Hinc involutus coccina gausapa lecticae impositus est praecedentibus phaleratis cursoribus quattuor et chiramaxie, in quo deliciae eius vehebantur, puer vetulus, lippus, domino Trimalchione deformior. Cum ergo auferretur, ad caput eius symphoniacus cum minimis tibiis accessit et tanquam in aurem aliquid secreta diceret, toto itinere cantavit.

Sequimur nos admiratione iam saturi et cum Agamemnone ad ianua[m] pervenimus, in cuius poste libellus erat cum hac inscriptione fixus: "quisquis servus sine dominico iussu foras exierit, accipiet plagas centum". In aditu autem ipso stabat ostiarius prasinatus, cerasino succinctus cingulo, atque in lance argentea pisum purgabat. Super limen autem caeua pendeat aurea, in qua pica varie intrantes salutabat.

XXIX. Ceterum ego dum omnia stupeo, paene resupinatus crura mea fregi. Ad sinistram enim intrantibus non longe ab ostiarii cella canis ingens, catena vinctus, in pariete erant pictus superque quadrata littera scriptum "CAVE CANEM". Et collegae quidem mei riserunt, ego autem collecto spiritu non destiti totum parietem persequi. Erat autem venalicium cum titulis pictum, et ipse Trimalchio capillatus caduceum tenebat Minervaque ducente Romam intrabat. Hinc quemadmodum ratiocinari didicisset, denique dispensator factus esset, omnia diligenter curiosus pictor cum inscriptione reddiderat. In deficiente vero iam porticu levatum mento in tribunal excelsum Mercurius rapiebat. Praesto erat Fortuna cornu abundantiam copiosa et tres Parcae aurea pensa torquentes. Notavi etiam in porticu gregem cursorum cum magistro se exercentem. Praeterea grande armarium in angulo vidi, in cuius sedicula erant Lares argentei positi Venerisque signum marmoreum et pyxis aurea non pusilla, in qua barbam ipsius conditam esse dicebant.

Interrogare ergo atriensem coepi, quas in medio picturas haberent. "Iliada et Odyssea, inquit, ac Laenatis gladiatorium munus".

XXX. Nos iam ad triclinium perueneramus, in cuius parte prima procurator rationes accipiebat, Et quod praecipue miratus sum, in postibus triclinii fasces cum securibus fixi, quorum unam partem quasi embolum navis aeneum finiebat, in quo erat scriptum: "C. Pompeio Trimalchioni, se viro Augustali, Cinnamus dispensator". Sub eodem titulo et lucerne bilychnis

de camera pendeat, et duae tabulae in utroque poste defixae, quarum altera, si bene memini, hoc habebat inscriptum: "III. et pridie kalendas Ianuarius C. noster foras cenat", altera lunae cursum stellarumque septem imagines pictas; et qui dies boni quique incommodi essent, distinguente bulla, notabantur.

His repleti voluptatibus cum conaremur in triclinium intrare, exclamavit unus ex pueris, qui super hoc officium erat positus: "dextro pede". Sine dubio paulisper trepidavimus, ne contra praeceptum aliquis nostrum limen transiret. Ceterum ut pariter movimus dextros gressus, servus nobis despoliatus procubuit ad pedes ac rogare coepit, ut se poenae eriperemus: nec magnum esse peccatum suum, propter quod periclitaretur; subducta enim sibi vestimenta dispensatoris in balneo, quae vix fuissent decem sestertiorum. Rettulimus ergo dextros pedes dispensatoremque in atrio aureos numerantem deprecati sumus, ut servo remitteret poenam. Superbus ille sustulit vultum et "non tam ictura me movet" inquit "quam negligentiae nequissimi servi. Vestimenta mea cubitoria perdidit, quae mihi natali meo cliens quidam donaverat, Tyria sine dubio, sed iam semel lots. Quid ergo est? dono vobis eum".

XXXI. Obligati tam grandi beneficio cum intrassemus triclinium, occurrit nobis ille idem servus, pro quo rogaveramus, et stupentibus spississima basis impegit gratias agens humanitati nostrae. "Ad summam, statim sciatis, ait, cui dederitis beneficium. Vinum dominicum ministratoris gratia est".

Tandem ergo discubimus pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus, aliisque insequentibus ad pe-

des ac paronychia cum ingenti subtilitate tollentibus. Ac ne in hoc quidem tam molesto tacebant officio, sed obiter cantabant. Ego experiri volui an tota familia cantaret; itaque portionem poposci. Paratissimus puer non minus me acido cantico excepit, et quisquis aliquid rogatus eret ut daret. Pantomimi chororum, non patris familiae triclinium crederes.

Allata est tamen gustatio valde lauta; nam iam omnes discubuerant praeter ipsum Trimalchionem, cui locus novo more primus servabatur. Ceterum in promulsidari asellus erat Corinthius cum bisaccio positus, qui habebat olivas in altera parte albas, in altera nigras. Tegebant asellum duae lances, in quarum marginibus nomen Trimalchionis inscriptum erat et argenti pondus. Ponticuli etiam ferruminati sustinebant glires melle papavere sparsos. Fuerunt et tomacula supra craticulam argenteam ferventia posita et infra craticulam Syriaca pruna cum granis Punici mali.

XXXII. In his eramus lautitiis, cum ipse Trimalchio ad symphoniam alletus est, positusque inter cervicalia minutissima expressit imprudentibus risum. Pallio enim coccineo adrasum excluserat caput, circaque oneratas veste cervices laticlaviam immiserat mappam fimbriis hinc atque illinc pendentibus. Habebat etiam in minimo digito sinistrae manus anulum grandem subaureatum, extremo vero articulo digiti sequentis minorem, ut mihi videbatur, totum aureum, sed plane ferreis veluti stellis ferruminatum. Et ne has tantum ostenderet divitias, dextrum nudavit lacertum armilla aurea cultum et eboreo circulo lamina splendente connexo.

XXXIII. Ut deinde pinna argentea dentes perfedit: "Amici, inquit, nondum suave erat in triclinium venire, sed ne diutius absentivos morae vobis essem, omnem voluptatem mihi negavi. Permittetis tamen finiri lusum". Sequebatur puer cum tabula terebinthis et crystallinis tesseris, notavique rem omnium delicatissimam. Pro calculis enim albis ac nigris aureos argenteosque habebat denarios. Interim dum ille omnium textorum dicta inter lusum consumit, gustantibus adhuc nobis repositorium allatum est cum corbe, in quo gallina erat lignea patentibus in orbem alis, quales esse solent quae incubant ova. Accessere continuo duo servi et symphonia strepente scrutari paleam coeperunt erutaque subinde pavonina ova divisere convivis. Convertit ad hanc scenam Trimalchio vultum et "amici" ait "pavonis ova gallinae iussi supponi. Et mehercules timeo ne iam concepti sint; tentemus tamen, si adhuc sorbilia sunt". Accipimus nos coclearia non minus selibras pendentis ovaque ex farina pingui figurata pertundimus. Ego quidem paene proieci partem meam, nam videbatur mihi iam in pullum coisse. Deinde ut audivi veterem convivam: "hic nescio quid boni debet esse", persecutus putamen manu pinguissimam ficedulam inveni piperato vitello circumdatam.

XXXIV. Iam Trimalchio omnia lusu intermisso poposcerat feceratque potestatem clara voce, si quis nostrum iterum vellet mulsum sumere, cum subito signum symphonia datur et gustatoria pariter a choro cantante rapiuntur. Ceterum inter tumultum cum forte paropsis excidisset et puer iacentem sustulisset, animadvertit Trimalchio colaphisque obiurgari puerum

ac proloere rursus paropsidem iussit. Insectus est lectica-
rius argentumque inter reliqua purgamenta scopis coepit ever-
rere. Subinde intraverunt duo Aethiopes capillati cum pusillis
utribus, quales solent esse qui harenam in amphitheatro spar-
gunt, vinumque dedere in manus; aquam enim nemo porrexit.

Laudatus propter elegantias dominus "aequum" inquit
"Mars amat. Itaque iussi suam cuique mensam assignari. Obiter
et puttidissimi servi minorem nobis aestum frequentia sua
facient".

Statim allatae sunt amphorae vitreae diligenter gyp-
satae, quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titu-
lo: "Falernum Opimianum annorum centum". Dum titulos perlegimus
complosit Trimalchio manus et "Theu" inquit "ergo diutius vivit
vinum quam homuncio. Quare tangomenas faciamus. Vita vinum est.
Verum Opimianum praesto. Heri non tam bonum posui, et multo
honestiores cenabant". Potantibus ergo nobis et accuratissime
lautities mirantibus lervam argenteam attulit servus sic apta-
tam, ut articuli eius vertebraeque laxatae in omnem partem
flecterentur. Hanc cum super mensam semel iterumque abiecisset,
et catenatio mobilis aliquod figuras exprimeret, Trimalchio
adiecit:

"Theu nos miseros, quam totus homuncio nil est.

Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.

Ergo vivamus, dum licet esse bene".

XLII. Excepit Seleucus fabulae partem et "ego" in-
quit "non cotidie labor; baliscus enim fullo est, aqua dentes
habet, et cor nostrum cotidie liquescit. Sed cum mulsi pulta-

rium obduxi, frigori laecasin dico. Nec sane lavare potui; fui enim hodie in funus. Homo bellus, tam bonus Chrysanthus animam ebullit. Modo, modo me appellavit. Videor mihi cum illo loqui. Heu, eheu! Utres inflati ambulamus. Minoris quam muscae sumus; muscae tamen aliquam virtutem habent, nos non pluris sumus quam bullae. Et quid, si non abstinax fuisset? Quinque dies aquam in os suum non coniecit, non micam panis. Tamen abiit ad plures. Medici illum perdiderunt, immo magis malus fatus; medicus enim nihil aliud est quam animi consolatio. Tamen bene elatus est, vitali lecto, stragulis bonis. Planctus est optime - manus misit aliquot - etiam si maligne illum ploravit uxor. Quid si non illem optime accepisset? Sed mulier quae mulier milvinum genus. Neminem nihil boni facere oportet; aeque est enim ac si in puteum conicias. Sed antiquus amor cancer est."

XLIII. Molestus fuit, Phileresque proclamavit. Vivorum meminerimus. Ille habet, quod sibi debebatur: honeste vixit, honeste obiit, quid habet quod queratur? Ab asse crevit et paratus fuit quadrantem de stercore mordicus tollere. Itaque crevit, quidquid crevit, tenquam favus. Puto mehercules illum reliquisse solida centum, et omnia in nummis habuit. De re tamen ego verum dicam, qui linguam caninam comedi: durae buccae fuit, linguosus, discordia, non homo. Frater eius fortis fuit, amicus amico, manu plena, uncta mensa, et inter initia malam parrem pilavit, sed recorrexit costas illius prima vindemia: vendidit enim vinum, quanti ipse voluit. Et quod illius mentum sustulit, hereditatem accepit, ex qua plus involavit, quem illi relictum est, et ille stips, dum fratri suo

irascitur, nescio cui terrae filio patrimonium elegavit. Longe fugit, quisquis suos fugit. Habuit autem oracularios servos, qui illum pessum dederunt. Nunquam autem recte faciet, qui cito credit. Uŕque homo negotians. Tamen verum quod frunitus est, quam diu vixit ... cui datum est, non cui destinatum. Plane Fortunae filius, in manu illius plumbum aurum fiebat. Facile est autem, ubi omnia quadrata currunt. Et quot putas illum annos secum tulisse? Septuaginta et supra. Sed corneolus fuit, aetatem bene ferebat, niger tanquam corvus.

XLIV. Haec Phileros dixit, illa Ganymedes: "narratis quod nec ad caelum nec ad terram pertinet, cum interim nemo curat, quid annosus mordet. Non mehercules hodie buccam panis invenire potui. Et quomodo siccitas perseverat. Iam annum esuritie fuit. Aediles male eveniat, qui cum pistoribus colludunt: "Serva me, servabo te". Itaque populus minutus laborat; nam isti maiores maxillae semper Saturnalia agunt. O si haberemus illos leones quos ego hic inveni, cum primum ex Asia veni! Illud erat vivere. Similia sicilia interiores et laras sic istos percolopebant, ut illis Iuppiter iratus esset. Sed memini Safinium: tunc habitabat ad arcum veterem, me puero, piper, non homo. Is, quascunque ibat, terram adurebat. Sed rectus, sed certus, amicus amico, cum quo audacter posses in tenebris micare. In curia autem quomodo singulos vel pilabat (tractabat). Nec schemas loquebatur sed directim. Cum ageret porro in foro sic illius vox crescebat tanquam tuba. Nec suda-

vit unquam nec espuit, puto eum nescio quid Asiadis habuisse. Et quem benignus resalutare, nomina omnium reddere, tanquam unus de nobis. Itaque illo tempore annona pro luto erat. Asser panem quem emissus, non potuisses cum altero devorare. Nunc oculum bubulum vidi maiorem. Heu heu, quotidie peius. Haec colonia retroversus crescit tanquam coda vituli. Sed quare nos habemus aedilem trium caunearum, qui sibi mavult assem quam vitam nostram? Itaque domi gaudet, plus in die nummorum accipit, quam alter patrimonium habet. Iam scio, unde acceperit denarios mille aureos.

Nunc populus est domi leones, foras vulpes.

Quod ad me attinet, iam pannos meos comedi, et si perseverat haec annona, casulas meas vendam. Quid enim futurum est, si nec dii nec homines huius coloniae miserentur? Ita meos fruniscar, ut ego puto omnia illa a diibus fieri. Nemo enim caelum caelum putat, nemo ieiunium servat, nemo Iovem pili facit, sed omnes opertis oculis bona sua computant. Antea stolatae ibant nudis pedibus in cliyum, passis capillis, mentibus puris, et Iovem aquam exorabant. Itaque statim urceatim provebat: aut tunc aut nunquam; et omnes redibant udi tanquam mures. Itaque dii pedes lanatos habent. Quia nos religiosi non sumus. Agri iacent ... ".

P. CORNELIUS TACITUS

(cca.55 - 120 - 130 e.n.)

ANNALES

LIBER TERTIUS DECIMUS

Moartea lui Britannicus. Conflictul cu Agrippina

XIV. ... 2. Et Nero, infensus iis quibus superbia muliebris innitebatur, demovet Pallantem cura rerum quis a Claudio impositus velut arbitrium regni agebat; ferebaturque, degrediente eo magna prosequentium multitudine, non absurde dixisse, ire Pallantem ut eiuraret. 3. Sane pepigerat Pallas ne cuius facti in praeteritum interrogaretur paresque rationes cum re publica haberet. Praeceptis posthac Agrippina ruere ad terrorem et minas, neque principis auribus abstinere quo minus testaretur adultum iam esse Britannicum, veram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio quod insitus et adoptivus per iniurias matris exerceret. Non abnuere se quin cuncta infelicis domus male patefierent, suae in primis nuptiae, suum veneficium; id solum diis et sibi provisum quod viveret privignus. 6. Iturem cum illo in castra; audiretur hinc Germanici filia, inde debilis rursus Burrus et exul Seneca, trunca scilicet manu et professoria lingua generis humani regimen expestantes. 7. Simul intendere manus, adgerere proba, consecratum

Claudium, infernos Silanorum manis invocare et tot inrita fascino.

XVI.1. Mos habebatur principum liberos cum ceteris idem aetatis nobilibus sedentis vesci in aspectu propinquorum, propria et parcioire mensa. 2. Illic epulante Britannico, quia cibos potusque eius delectus ex ministris gustu explorabat, ne omitteretur institutum aut utriusque morte proderetur scelus, talis dolus repertus est.

3. Innoxia adhuc ac praecalida et libata gustu potio traditur Britannico; dein, postquam fervere aspernabatur, frigida in aqua adfunditur, venenum, quod ita cunctos eius artus pervasit ut vox par iter et spiritus repererentur. 4. Trepidatur a circumsedentibus; diffugiunt imprudentes: at quibus altior intellectus, resistunt defixi et Neronem intuentes. 5. Ille, ut erat reclinis et nescio similis, solitum ita sit per comitiales merbum quo prima ab infantia adflictaetur Britannicus, et redituros paulatim visus sensusque. 6. At Agrippinae is pavor, et consternatio mentis, quamvis vultu premeretur, emicuit ut perinde ignaram fuisse atque Octaviam, sororem Britannici constiterit, quippe sibi supremum auxilium ereptum et parricidii exemplum intellegebat. 7. Octavia quoque, quamvis rudibus annis, dolorem, caritatem, omnes adfectus abscondere didicerat. 8. Ita post breve silentium repetita convivii laetitiae.

XVII.1. Nox eadem necem Britannici et rogum coniunxit, proviso ante funebri paratu, qui modicus fuit. 2. In

campo tamen Martis sepultus est, adeo turbidis imbribus, ut vulgus iram deum portendi crediderit adversus facinus, cui plerique etiam hominum ignoscebant, antiquas fratrum discordias et insociabile regnum aestimantes. 4. Festinationem exsequiarum edicto Caesar defendit, id a maioribus institutum referens, subtrahere oculis acerba funera neque laudationibus aut pompa detinere. 5. Ceterum et sibi amisso fratris auxilio reliquas spes in re publica sitas, et tanto magis fovendum patribus populoque principem qui unus superesset e familia summum ad fastigium genita.

XVIII. 1. Exin largitione potissimos amicorum auxit.

2. Nec defuere qui arguerent viros gravitatem adseverantis, quod domos, villas id temporis quasi praedam divisissent. 3. Alii necessitatem adhibitam credebant a principe sceleris sibi conscio et veniam sperante, si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset. 4. At matris ira nulla munificentia leniri, sed amplecti Octaviam, crebra cum amicis secreta habere, super ingenitam avaritiam undique pecunias quasi in subsidium corripieas; tribunos et centuriones comiter excipere, nomina et virtutes nobilium, qui etiam tum supererant, in honore habere, quasi quaereret ducem et partis. 5. Cognitum id Neroni, excubiisque militaris, quae ut coniugi imperatoris olim, tum ut matri servabantur, et Germanos, nuper eundem in honorem custodes additos, digredi iubet. Ac ne coetu salutantium frequentaretur, separat domum matremque transfert in eam quae Antoniae fuerat, quoties ipse illuc ventitaret, saeptus turba centurionum et post breve osculum digrediens.

XIX.1. Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est quam fama potentiae non sua vi nixae. 2. Statim relictum Agrippinae limen; nemo solari, nemo adire praeter paucas feminas, amore an odio incertus.

D. I U N I U S I U V E N A L I S

(cca 60 - cca 130 e.n.)

S A T I R A E

III

Quid Romae faciam ? mentiri nescio; librum,
Si malus est, nequeo laudare et poscere; motus
Astrorum ignoro; funus promittere patris
Nec volo nec possum; ranarum promittere patris
45 Inspexi; ferre ad nuptam, quae mittit adulter,
Quae mandat, norunt alii; me nemo ministro
Fur erit, atque ideo nulli comes exeo, tamquam
Mancus et existinctae, corpus non utile, dextrae.
Quis nunc diligitur, nisi conscius, et cui fervens
50 Aestuat occultis animus semperque tacendis?
Nil tibi se debere putat, nil conferet unquam,
Participem qui te secreti fecit honesti;
Carus erit Verri, qui Verrem tempore quo vult
Accusare potest. Tanti tibi non sit opaci
55 Omnis arena Tagi quodque in mare volvitur aurum,
Ut somno careas ponendaque praemia sumas
Tristis et a magno semper timearis amico.

Vivendum est illic, ubi nulla incendia, nulli
Nocte metus. Iam poscit aquam, iam frivola transfert
Ucalegon, tabulata tibi iam tertia fumant;
200 Tu nescis; nam si gradibus trepidatur ab imis
Ultimus ardebit, quem tegula sola tuetur
A pluvia, molles ubi reddunt ova columbae.
Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex,
Ornamentum abaci, nec non et parvulus infra
205 Cantharus et recubans sub eodem marmore Chiron
Iamque vetus Graecos servabat cista libellos,
Et divina opici rodebant carmina murea.
Nil habuit Codrus; quis enim negat? et tamen illud
Perdidit infelix totum nihil; ultimus autem
210 Aerumnae est cumulus, quod nudum et frusta rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio tectoque iuvabit.
Si magna Asturici cecidit domus, horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia praetor;
Tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.
215 Ardet adhuc, et iam accurrit cui marmora donet,
Conferat impensas; hic nuda et candida signa,
Hic aliquid praeclarum Euphranoris et Polycliti,
Haec Asianorum vetera ornamenta decorum,
Hic libros dabit et forulos medianque Minervam,
Hic modium argenti; meliora ac plura reponit
Persicus, orborum lautissimus et merito iam
Suspectus, tamquam ipse suas incenderit aedes.

Respice nunc alia ac diversa pericula noctis:

- Quod spatium tectis sublimibus, unde cerebrum
270 Testa ferit, quoties rimosa et curta fenestris
Vasa cadunt, quanto percussum pondere signent
Et laedant silicem. Possis ignavum haberi
Et subiti casus improvidus, ad coenam si
Intestatus eas; adeo tot fata, quot illa
275 Nocte patent vigiles te praetereunte fenestrae.
Ergo optes votumque feras miserabile tecum,
Ut sint contentae patulas defundere pelves.
Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,
Dat poenas, noctem patitur lugentis amicum
280 Pelidae, cubat in faciem, mox deinde supinus
Ergo non aliter poterit dormire; quibusdam
Somnum rixa facit: sed quamvis improbus annis
Atque mero fervens cavet hunc, quem coccine laena
Vitari iubet et comitum longissimus ordo,
285 Multum praetera flammaram et aenea lampas.
Me, quem luna solet deducere vel breve lumen
Candelae, cuius dispenso et tempero filum,
Contemnit. Miserae cognosce proemia rixae,
Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.
290 Stat contra starique iubet: parere necesse est:
Nam quid agas, quum te furiosus coget et idem
Fertior? Unde venis? exclamat; cuius aceto,
Cuius conche tumes? quis tecum sectile porrum
Sutor et elixi vervecis labra comedis?
295 Nil mihi respondes? aut dic aut accipe calcem!
Ede ubi consistas; in qua te quaero proseucha? -

Dicere si temptes aliquid tacitusve recedas,
Tantumdem est; feriunt pariter, vadimonia deinde
Irați faciunt; libertas pauperis hæc est:


300

Pulsatus rogat et pugnis concisus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.
Nec tamen hæc tantum metuas; nam qui spoliet te
Non deerit, clausis domibus, postquam omnis ubique
Fixa catenatæ siluit compago tabernæ.

C O U P R I N S

	Pagina
T.MACCIUS PLAUTUS	
Aulularia	3
Miles gloriosus	10
Mostellaria	14
Rudens	16
 C.IULIUS CAESAR	
Commentarii de bello Gallico	19
 M.TULLIUS CICERO	
In C.Verrem. Actio secunda. De Signis	31
In Verrem Actio secunda - De suppliciis	37
Oratio pro Archia poeta	40
 P.VERGILIUS MARO	
Georgica	49
Aeneis	51
 Q.HORATIUS FLACCUS	
Carmina	63
Satirae	68
Ars Poetica	71

	Pagina
C.IULIUS PHAEDRUS	
Fabulae Aesopicae	73
L.ANNAEUS SENECA	
Epistulae ad Lucilium	79
Troades	83
C.PETRONIUS ARBITER	
Satiricon	87
P.CORNELIUS TACITUS	
Annales	97
D.IUNIUS IUVENALIS	
Satirae	101
CUPRINS.	105



Lei 4,50